













Giò

XL

VALV. in

SALOM.

1 · 15

SALOMONIS DE FORTI MVLIERE ALPHABETVM

TRIBVS COMMENTARIIS illustratum atque explicatum

A BARTHOL. VALVERDIO DOCT. THEOL. Hispano, Cæsar. & Cath. Maiest. Sacellano

Quæ hoc opusculo contineantur proxima pagina ostendet.





ROMAE, ex Officina Sanctij, & Soc.

M. D. LXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

4 · 2

PROVERB. XXXI. ALPHABETVM.

EDITIONE multiplici, Græca & ea Symmachi, Aquilæ, Thedot. reliquijs quæ superſunt, variegata & illuſtrata.

TRIPLICI Latina. Prima quam Eccleſia Sacroſancta legit ac perſonat; Altera quæ Hebræorum verborum vim, fecunditatem energiam, quantamcunque Sacra lingua admittere poteſt, repræſentat. Tertia e Biblijs Armenorum lingua & charactere vetuſtiſſ. petita.

TRIPLEX Commentarius. Primus de Virgine incomparabili Dei Genitrice, quo multi ex occaſione S. Script. arcani & inuoluti ſenſus & intellectus oratione pura explicantur. Alter quo Allegoricus & ſpiritalis de Aſcenſu mentis in Deum; Tertius, quo humilis atque ſimplex quem κατὰ λέξιν, & κατὰ πόδας Apoſtoli appellarunt ſenſus continetur.

ACCESSIT de eadem VIRGINE ſuperbenedicta in Pſalm. LXXXVII. Commentarius.

Omnia quanta fieri potuit, cura, ſtudio, & diligentia Bartholomæi valuerdij.

Beatissimæ Dei Genitrici.


RO tot eximijs & immortalibus Tuis in me beneficijs, VIRGO Veneranda, constitueram mihi diem solennem, quo aliquando saltem laudes aliquas reponerem: non quod ijs egeas Regina & MATER præpotentis Dei, vel nostra commendatione, Tibi, quæ lux es & Mater ipsa Lucis, lux accedat; sed vt meritorum memorem præstarem: neque in Te quæ præsentissimis periculis neciq; subtractũ in vita sæpè conseruasti, ingratus, & indignus in quem contuleris tot beneficia iudicarer. Et quanquã posses iure optimo indignari, me indisertũ et labijs vt Mosis verbo vtar, incircuncisũ, Tuas laudes quæ splẽdidissimæ maximeq; illustres in seipsæ sunt, ausum attingere: cõfido tamen, & si minus ob phrasim ignobilẽ & impolitã, qua vsus sũ in scribendo: at certe ob scribendi longè nobilissimũ argumentũ, hoc vtcũq; tenue & exiguum, haud prorsus indignissimũ, quod a me, Tibi munusculũ daretur, conatumq; in ea re meum minime ingratum Tibi, O Sanctiss. futurum, sed qua es magnitudine clemẽtia bonitate, ipsum donãtis animũ ac studiũ inspecturã, quo pro mea in te reuerentia, obseruantia, pietate, si possem, his multo perfectiora darem multò præstantiora.

* a Co-

Comitte vitam rem decus
Dei vnius arbitrio,
Ipse animi ex sententia
Confecta reddet omnia.
Tua faciet vt sit æquitas
Vt luce virtus sit tua
Meridiana clarior.

PATRI PATRVM
ET PASTORVM PASTORI
Beatiſs. ac Sanctiſs. D. N.
SIXTO V. PONTIFICI
RE ET NOMINE MAX.

PETRO TEMPORIS NOSTRI

Bartholomæus Valuerdius.



VM de vniuerſo Scripturæ corpore Beatiſs. P. ſcriptum ſit ab Iſaia: Dabo tibi theſauros abſconditos, & abſcondita ſecretorum, Theſauros enim dicit, & quæ non deficiunt diuitiæ Oraculorũ Dei quæque eſt venatu difficilis Arcana Sapientia: tum id multo magis de eximijs huius Vatis arcanis verbis atque ſententijs exiſtimandum eſt; nam vbi videtur incedere demiſsè, nec vllo Spiritus ardore ferri & incitari, ſed Pennæ tantum columbæ deargentatæ ſe oſtendere: tum vero in his, quæ parua eſſe videntur, ingenij illius excellẽtis ſublimitas elucet, Heroica ſublimitate ſupra Vates ceteros attollitur, & Poſteriora dorſi eius in pallore auri reſplendent & effulgent.

QVOD verò tam multi in eius monumenta & ſcripſerint olim & quotidie ſcribant: deterrere nos non potuit quominus ea quæ mihi ad intelligendum & ad obſeruandum pertinere viſa ſunt, & certam rationem & diſquiſitionem habent, & multa meditatione elaborata mihi sũt, tua præſertim *PATER*

SAN-

SANC. secundũ Deũ, eruditione, sapientia, auctoritateq. cõsisus publicè proferrem, & à Iudeorũ erroribus & aliorũ quorũdam interpretationibus qualescunq. sint, Propheticũ sermonẽ assererẽ, & vindicarem; simulq. ostenderẽ ad VIRGINEM incomparabilem, potiusquam ad eas quæ viri cõplexibus alligatæ sunt, tantas & tã veras laudes pertinere. Solẽ enim propemodũ intercipit, neq; lucere mũdo vult, qui alienis interpretationib. Ioakim & Annæ filiæ Dei-genitricis latere gloriã sinit.

NAM reputans ipse mecũ omnia a nobis Deo, à me vero etiam priuatim & propriè eiusdem Matri, cuius beneficio viuo, cui vni fatendũ est me debere quod viuo, summa omnia deberi: nihil existimaui valere apud animum meum oportere, quod me ab exercendæ pietatis officio deterreret.

ET quanquam potus istius saluberrimi, exiguas tantum guttas pro tenuitate nostra communicarit nobiscum munificẽtiss. Deus, & siue fontis ipsius, cuius petra Manalis est Christus; siue Scripturæ locos, in quibus, vt in castellis aquæ, doctrinæ cœlestis capita continentur; siue vberes, qui inde duci solent, concionum riuos spectamus: cum oculorum aciem ad nos conuertimus, conscij tenuitatis propriæ & rerum amplitudine perterriti, & mysteriorum maiestate penitus absorpti, deficiat planè animus: cum nulla omnino pars sit, quæ non superet omnibus numeris facultates nostras; (hic est enim vetus ille puteus Viuentis, & Videntis, magnaque profunditas & altitudo mysteriorum Dei) tamen vt ipsius quantulacunque sũt in nobis dona fideliter expendamus, & nullius hominis auctoritas quemquam taciturnitate nostra in fraudem & errorem impellat, eodem adspirante Deo, ad scribendum planè mouemur & impellimur.

QVOD vero sub Tuo patrocinio PATER SANCTE in publicum emitto, effecit, non solùm Maiestas nominis Tui, quo mea scripta illustrari mihi fuit peroptabile; & Tuæ in purpurata adhuc toga illius erga me humanitatis recordatio amorisque maxima conciliatrix affabilitas, quæ res me totũ in

tui

Tui obseruantiam traduxere; sed ea in primis singularis beneuolentia, quam purpuratæ togæ adiuncto Pontifica tu nuper erga me non obscuro documento declarasti, cum ad labores literarios ad Te venire iubes, & in tãto doctiss. virorum numero nostra opera vti vis; quæ publica de me testificatio, qua summi labores nostri magna cõpensati Dei gloria mitigantur, hoc fuit mihi gratissima, quod a nullo meo in Se merito proficiscebatur, sed a singulari Sua humanitate, & ea opinione quam de meis studijs præceperat SANC. V.

OPTAVERAM sane diu oculis meis cernere Romanã Ecclesiam, quam sæpè legeram, nidum & castissimum Sanctissimę Relligionis vmbilicũ, Propheticis & Apostolicis scriptis ac institutis fundatam, miraculis confirmatam, ab ipsa fide Petri vsque ad Pontificatum Tuum, Sacerdotum successione, innumerabilium & Martyrum sanguine, & Doctorum scriptis propagatam, plurimarum gentium, nationum, & linguarum consensione, tot sæculis quot iam a Christo profluxerunt diffusã, atque adeo nunc ad incognitos superioribus sęculis populos sese diffundentem; Legeram, eius doctrinam, censuram, interpretationem Sanctarum Literarum, diuinum cultũ, mores, instituta obseruanda & amplectenda; quæ vna sit Christi sponsa, & columna & firmamentum veritatis, etiam aduersus ipsas Inferorum portas validiss. eadem in vnitate Spiritus, in vinculo pacis, vno corpore, vno spiritu, vna vocationis spe, vno Domino, vna fide, vno baptismate, vno Deo & patre D.N. Iesu Christi qui à nobis abiẽs mẽbra sui corporis Petro, & eius successoribus curanda commendauit; ita vt pro Patribus ipsis assidue nascantur illi filij, quos ipsa in de mortuorum parentum loca continua successione substituit; vt si causæ nullæ sint, cur meritis omnibus & honoribus eam prosequeremur solius ordinis & harmoniæ munere atque beneficio contingeret, vt & nobis sui cultoribus Augustam & venerandam, & hostibus rursus ac inimicis formidabilem & inuictam se præberet. Quid enim aliud videmus in nostra Sullamithe nisi cho

ros

ros castrorũ? tot Patrũ, tot Traditionũ, tot Conciliorũ, Sacrificiorum, Sacramentorum quibusdam quasi sępibus munitam, & Regali ornamento præfulgentẽ, quo palam se comtam pulchram & spectandam dat, & Circũamicta Varietate incedens, istorum qui in Cœlum os suum posuerunt, oculorum aciem præstringit.

HAEC cum quotidie cogitarem, legerem, auribus, oculis haurirem: crescebat in dies amor, & excitabatur desiderium, vt si quæ mihi vnquam facultas daretur, ne omitterem occasionem declarandi amoris huius & obseruantiæ meæ; quæ cum mihi nõ modo largiter, sed etiam gratiosè a SANC. V. data sit, cuius ego auctoritate & imperio quasi postliminio reuocatus (idem enim a me fel. record. Gregorij nomine flagitauerat doctiss. ille Sirletus) in hac domo Dei viuentis, veræ Religionis sede ac domicilio, stabilitate æterno, dignitate illustrissimo, doctrina admirando, studiorum fructus haurio iucundissimos: faciendum mihi fuit, vt S. V. benignitatis memorem me præberem.

ITAQVE dum multarum maximarũq. Vigiliarum opus XXX. ΣΠΟΥΔΑΣΜΑΤΩΝ libri prodeunt, qui primi, vti par erat, & sæpe facturũ Typographus receperat, & ego peroptabam, sub SANCTIT. V. nomine prodijssent, nisi desideriũ meũ iniustissimè profecto quidã retardassẽt, obscurissimi huius Capitis interpretationem præmisi: quam si illa interiori cura, qua solet tractare Sacras Literas, cum maximarum rerum curæ satisfecerit, legere tanti putabit *SANCTITAS V.* magno mihi Ea credat Sibi erit oblectamento; plurima enim dictu pulcherrima ac scitu dignissima, tenui & exiguo Carmine summatim repetita perstringuntur; multa, quæ prodita ne hactenus & animaduersa sint, & ea qua oportuerat luce & claritate explicata, dubitare plane cogor.

NVLLAM enim D. N. Iesu Christi, nullã ipsius Matris vitæ partẽ, & toto Commentario euicisse me puto, tectis & obcuris verbis Salomon existimãdus est, intactã reliquisse, eius

in-

inquam, ortum, ingressum in domum suam, Symeonis Ypapanten, fugam, reditum ad sua, disputationes cum doctoribus, opera admiranda, mortem, sepulturam, descensum in inferiores partes terræ, superque omnes cœlos volatum & ascensum, seuerum denique Iudicis tribunal. Porro in eiusdem Matre VIRGINE ne minima quidem prætermittere; non nobiles Natales, non educationem, vigiliasque nocturnas, Angelorum ministeria, colloquium Gabrielis, respõsum prudentiss. diuinum partum, angores, curas, sollicitudines de fuga, deque illius morte acerbiss. dolores, corporis sui raptum, cœleste indumentum, denique apud iratum Iudicem nostrum omnium patrocinium.

QVAPROPTER, vt in re tantis difficultatibus obstructa, abiecto omni fastu & doctrinæ opinione, ingenij viriumque præfidentia, Dauidis exemplo frequenter vsurpaui: Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, & scrutabor Legem tuam; & vnde habemus ipsas Diuinas Scrip. earumdem sensum precibus petiui.

DEINDE quæcunque ad obscuros sensus eruendos instar luminis & doctoris esse possunt, ea omnia adiumenta solerter conquisiui; neque illos natatores imitatus sum, qui etiam si fluuios nunquam sint ingressi: tamen audacia vtentes pro sapientia, vel cortices, vel vtres, quibus sustineri queant stultè contemnunt, aut certè negligunt; & sine adminiculis, sine remis & velis, nullo duce, nec sibi saltem Vrsa proposita, magnam rem, difficilem & periculosam, secare mare, immensum pelagus traijcere aggrediuntur.

VOCVLAS ergo & syllabas accuratè examinaui, aduocaui Philosophos, Oratorum & Poetarum interdum vsus testimonijs, Græcorũ, Hebræorum, Chaldæorum non codicibus modo, sed etiam Traditionibus, neque ieiuno & incondito genere dicendi; neque obuijs & humilibus contentus, Arcanos & Mysticos sensus studiosè conquisiui. Tentemus face-

re, ait Origen. quod Sapientia commonet dicens: Bibe aquam de tuis fontibus & de tuis puteis, & sit tibi fons proprius. Tenta ergo & tu habere proprium fontem; vt cum apprehenderis librum Scripturarũ, incipias etiã ex proprio sensu proferre aliquem intellectum, & secundum ea, quæ in Ecclesia didicisti tenta & tu bibere de fonte ingenij tui. est intra te natura aquæ viuę; sunt venæ perennes, & irrigua fluenta rationabilis sensus, si modo non sint terra, & ruderibus oppleta. sed satis age, fodere terram tuam, & purgare sordes. Audi enim quid dicit Script. Punge oculum, & profert lacrhymam; pũge cor & profert sensum. Purga ergo & tu ingenium tuum, vt aliquando etiam de tuis fontibus bibas.

QVAM interpretationem si S.V. quem penes arbitrium est, & ius & norma dictorum, quẽ ego Patronum, & Iudicem elegi, probatam esse intellexero: non verebor ne me inuidi & maleuoli interpretes, vel audaciæ, vel temeritatis accusent. Certe quæcunque de ea nobis scribuntur, quam scimus SANCTITATI. V. semper in vita fauentẽ & propitiam, vocatam, inuocatam adfuisse, summo antiquis Suis moribus debito dignitatis gradu & fastigio collocasse: Tuæ partes profecto sunt PATER S. nostris, si qua de illa erunt commodè dicta, adesse, ac vicissim, quæ non probabuntur, obliterare: Oportet enim nos, ait æterna Cyrilli memoria: ὡς μέλη ἐμμένειν τῇ κεφαλῇ ἡμῶν τῷ τῆς Ῥώμης ἀρχιερῷ καὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ, ἀφ᾽ οὗ ἡμέτερόν ἐστι ζητῆσαι, τί πιστεύειν, καὶ τί δοξάζειν μέλλομεν καὶ κρατεῖν, ὅτι αὐτοῦ ἐπιτιμᾶν μόνον ἐστὶν ἐλέγχειν, ἐπιδιορθοῦν, ἐπικυροῦν, διατιθέναι, λύειν καὶ δεσμεῖν .i. vt membra cõstantes manere in capite nostro Romano Pontifice & Apostolico throno, a quo nostrũ est quærere quid credere, quid opinari, quid tenere debeamus; quia ipsius solum est redarguere, dirigere, reprehendere, confirmare, disponere, soluere, & ligare.

NEQVE enim is sum, qui putem me non multa latuisse, quę oculatiores non præteribunt; quorum censuram patiar æquo animo, dummodo ne quis incognita pro cognitis habeat, & temere Hebraicarum rerum imperitus, de ijs iudiciũ ferat. Sine duce irruis, ait Aug. & de his sine præceptore audes ferre

ferre sententiam; nec si tibi aliqua occurrunt, quæ videātur absurda, tarditatem tuam, & putrefactum huius mundi labe animum, qualis omnium stultorum est, accuses, potius quam eos, qui fortasse in talibus intelligi noluerunt

NEQVE ego Pater Sancte in re nimis nota & peruulgata multus ero, magnam potius Deo habeo gratiam, quod qui humanitatem agnoscimus Tuam, tum admiramur istam scientiam, Te Pontifice ac Iudice talia nobis scribere contigerit.

NEC enim ista Te somnolenter attigisse arbitramur, sed diligentissimè cognouisse, & vndique collegisse, & tractatione Sacrarum Literarum vsūque doctum, & corrigere Te posse video, & vti spero & opto, acerrimo Tuo iudicio comprobare: & simul gaudeo iudicium animi mei de Tua vita, studijs, factis approbari, quod semper statui, neminem doctrinę, & sapienciæ laudem ex proprio fastu, & falsa ac odiosa nimis doctrinæ opinione, sed ex ijs studijs, vigilijs, sudoribus, disputationibus, peregrinationibus, in quibus SANCTITAS V. est cum maxima Sua laude & celebritate versata, solida deniquc constantique eruditione consequi posse.

VALE Optime & doctissime Pontifex, dignus profecto, cuius & assiduas preces ex alto Deus, & quotidiana monita, atque consilia Christiani in terris Principes exaudiant. sic enim omnes sibi persuasum habent, si modo acerbæ iste discordiæ, exitiabilesq. motus, Dei primum ope ac beneficio, tum dein de S.V. consilio, pace, & compositione quandoque terminentur: hanc Te prouinciam expeditionemq. liberandæ ab hostibus Christianæ Reip. & suscepturam maximo animo, & nauaturam fortiter esse. Deus SANCTITATEM V. Ecclesiæ suæ diu saluam & incolumem seruet.



Ad Lectorem.



RAESTITI candide et erudite Lector quantum extemporaneo scripto prestari à me potuit, alia in aliud tempus de Virgine argumenta & laudes reseruante. Sed quæ hoc libro continentur tamèn quantuluscunque is est, satis multa fuerint fortaßè, dummodo satis bona, ideſt, dummodo titulo suo respondeant. Certe si libros non ex voluminis magnitudine, sed ex vtilitate metiri oportet: multa certe extant magna opera quibus hoc meum opponere non verear opusculum.

SI diligentius quędam scrutari, minima persequi, paruiſque nimium immorari dicor: ego nullam orationem quæ de Virgine suscipitur nimiam & superfluam esse dico. in quo tamen si rationem legeſque exceßi dum me laudatißimæ Virginis celebrandæ cupiditas longius rapit, scio huic facile amori meo veniam datum iri.

SI quis, quæ reprehendat reperire se nuntiauerit: nequaquam ille inopinato nuntio aures meas ferijsse putet. homo enim esse, ideſt, errare non erubesco at insipiens esse, ideſt, in errore pertinax perdius ac pernox perseuerare hoc verò summopere pertimesco, vel potius exhorresco. Quotus enim quiſque eſt qui si verum fateri velit poſtridie quàm suum librum ediderit quod in eo reprehendat reperire se non dicat? sed hodie ab inuidis quorum ego pręcipuum semen, præcipuam eorum segetem ac materiam puto esse ignorantiam (nemo enim doctus & bonus similibus inuiderit) ne spacium quidem cuiquam ad recognoscenda & caſtiganda datur; sed me tamen hæc a scribendo minime deterrent, neque derritura porrò, scriptiones noſtræ, quæ quantæ sint, teſtabuntur prodeuntes breui nobis à libri.

SED quoniam scio non defuturos, qui cum incultißimum habeant ingenium, nulliſque bonarum literarum adminiculis suffultum, nobis vitio vertant, quod in Sacrarum Scripturarum tractatione voculas & syllabas accuratè examinemus, aduocemus Philoſophos, Oratorum & Poetarum interdum vtamur teſtimonijs, Hebræorum, & Chaldæorum non Codicibus modò, sed etiam Traditionibus, tum etiam culto & ornato genere dicendi; cum sermo Dei non in verbo, sed in in virtute consiſtat, & Sapientia huius mundi, ſtultitia sit apud Deum: oſtendendum nobis eſt licere id Theologis viris, si rectè commode, & sobriè fiat, & non modo laudabile sed vtile etiam & neceſſarium exiſtere. Itaque pro longa prefatione summos viros producemus, eoſque in acie collocabimus, antiquißimos inquam, eoſdemque facundiſſimos Eccleſiæ Doctores, de quorum fontibus reliqui hauſerunt, quorum nos imitari cupimus diligentiam, habemuſque huius noſtri facti atque sententiæ fautores, & patronos.

AT-

ATQVE vt ab eo, quod principem sibi locum vendicat, incipiam, ecquid, inquiunt, ad Sacrarum Literarum interpretationem externa requiris? Poetas, Oratores, Philosophos aduocas? Respondeat tibi BASILIVS: Insuper Poetis, & Oratoribus & omnibus hominibus vtendum, vnde futura sit aliqua vtilitas. Rursus; Si nostrorum sermonum, & Gentilium vlla est conuenientia, nobis illorum valde confert notitia: eadem ad verbum Orige. Tertull. vterque Gregor. Nyssenus Nazanz.

AT voculas examinas, & anxie disquiris. Audi CHRYSOSTO. Nihil temere aut fortuito loquitur Diuina Scriptura: Sed & syllaba & apiculus vnus reconditum habet thesaurum. NAZIANZ. Equidem collaudo in moribus tuis discendi studium atque industriam: supraque modum delector ista instãtia. vigilantiaque mentis tuæ, qui putas nullam vocem ex his, quæ per vniuersã Scripturã de Deo prædicãtur, oportere indiscussã relinquere. Idem NAZIANZ. Nos qui diligentiam Spiritus ad minimum vsque apicẽ, & postremam literam scrutamur, nunquam concedemus (impium enim est) ne minutas quidem res frustra esse ab illis, qui scripserunt, tam studiosè literis traditas, & ad hoc vsque tempus memoria conseruatas.

ITERVM: Haud oscitanter audire sermonem de rebus diuinis differentem sed conari, quid in quaque dictione, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat perscrutari, non est eorum, qui segnes sunt ad pietatem, sed qui intelligant scopum nostræ vocationis. Rursus. Si ex lege, nec vnum Iota, nec apex vnus præteribit quomodo nobis tutum fuerit vel minutissima transilisse? Item: Quod si quis ridet nostram circa syllabas (vt Psalmi verbis vtar) ἀδολεσχίαν ipse quidem infrugiferum risus sui fructum metat: nos vero haud quaquam cedentes hominum conuitijs, nec illorum vituperatione deiecti vestigandi studium deseramus. Tantum enim ab est, vt me harum minutiarum pudeat, vt si etiam dignitatis, vel minimam partem assequar; tum mihi gratulaturus sim veluti res maximas assecuto, tum fratri, qui nobis huius perscrutationis socius est, & arbiter, non mediocre lucrum obuenturum.

ORIGENES Dominus in Euangelio paucos panes frangit, & quot millia reficit populorum, & quanti cophini reliquiarum supersunt. Donec integri sunt panes nemo saturatur, nemo reficitur, nec ipsi panes videntur augeri. Considera, ergo, nunc quomodo paucos panes frangimus de Scripturis diuinis paucos sermones assumimus, quot millia hominum saturantur; sed nisi fracti fuerint isti panes, nisi in partes cõminuti a discipulis hoc est, nisi minutatim litera fuerit discussa & frasensus etiam ad omnes non potest peruenire;

AT salus nostra in Euangelio est, id autem totum Græcè traditum, cur igitur, Hebraicas scripturas adducis? Idem tibi respondet ORIGEN. Non vereor nec dubito scrutari, quæ sunt apud Iudæos, Scripturas, & omnes nostras cum illorum scripturis conferre, & videre, quænam sint in eis differentiæ; si non est graue

&

& arrogans dicere; hoc grauiter pro viribus fecimus, vt mentem nostram exerceremus in omnibus Editionibus, & earum differentijs. exercemus autem vt non ignoremus etiam eas, quæ sunt apud illos, vt cum Iudæis disserentes, eis adducamus quæ sunt proposita in eorum exemplaribus, & vt cum eis vtamur ijs, quæ apud illos habentur, & non sunt in nostris libris.

EVSEBIVS: Quemadmodum ab Aegyptijs Aegyptiam, a Phœnicibus Phœniciam Theologiam, & a Græcis Græcam; sic & ea, quæ ab Hebræis dicuntur, ab illis ipsis petenda sunt.

CASSIODORVS: Si verba reperiuntur absurdè posita, aut ex his codicibus, quos beatus Hieronym. in æditione LXX. Interpret. emēdauit, vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepide corrigenda sunt. Aut sicut beatus Augustinus ait, recurratur ad Græcum Pādectem, qui omnem Legem diuinam digno scitur continere collectā; aut quibus possibile fuerit Hebræam scripturā vel eius doctores requirere non detrectent. Decet enim, vt vnde ad nos venit salutaris translatio, eo iterum redeat decora correctio.

AT è fontibus haurire tum expedit, cum possunt haberi puri, & liquidi; nunc autē corrupti, & deprauati sunt? ORIGEN. Nunquā Dominus, & Apostoli qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Phariseis, de hoc crimine, quod erat maximum reticuissent. Sin autem dixerint post aduentum Domini, & Apostolorū prædicationem falsatos esse ab Hebræis codices: cachinnum tenere non potero, vt Saluator, Apostoli, & Euangelistæ ita testimonia protulerint, vt Hebræi postea falsaturi erant.

EVSEBIVS: Mirabile inquit mihi videtur duobus annorum millibus, imo maiore tempore, iam fere transacto (non enim exquisitissimè annorum possum dicere numerum) nec verbum vllum in lege illius esse mutatum; sed centies vnusquisque Iudæorum morietur, quam legi Mosaycæ derogabit.

AVGVSTINVS: Non est verisimile vniuersam gentem Hebræorum tam multis sæculis per orbem dispersam conspirasse ad codicum deprauationem, & dum alijs inuident Sanctarum Scripturarum auctoritatem, sibi veritatem abstulisse.

AT tu Hebraica scriptura non contentus, Iudæorum citas Traditiones. Respondeat EPIPHANIVS in Traditionibus, ait, quędam loco electæ doctrinæ prædicantur. Rursus: Oportet Traditione vti; non enim omnia a Diuina Scriptura accipi possunt. Item: Nihil molesti fuerit, ea quæ in Traditionibus deprehendimus dicere. Item; In Traditionibus inuenimus, quod triginta annorum tunc erat Lazarus, quando suscitatus est: postquam vero suscitatus est alios triginta vixit. Et, Ex Traditionibus ostenditur, quod non coniunctionis gratia Iosepho tradebatur Virgo, sed quo conseruaretur in testimonium futurorum, quod nō spuria dispensatio aduentus in carne accessit.

ORIGENES: Rursus Deus quidem dixit, honora patrem tuum, & ma-
trem

trem tuam, docens filium honorem debitum persoluere parentibus; huius honoris erat pars, illis impartiri de rebus externis; Pharisei ergo & Scribę Traditionem eiusmodi Legi contrariam prodiderunt, quam obscurius refert Euangelium, quam ne nos quidem quidquam eramus explicaturi, nisi quidam Hebræorum exposuisset nobis, quæ ad hunc locum pertinent. Rursus: Memini cum studioso Hebræo & appellabatur apud eos filius Sapientis, vt qui esset educatus vt patri succederet de multis contulisse, a quo vtpote Susannæ historia nequaquã abrogata, didici seniorum quoque nomina vt quæ sita sint in Ieremia. Parua ne hæc tibi videntur Lector?

MVLTA dices, in Traditionibus fabulosa, nugatoria, aduersum nos nostrãque Religionem amarulentiæ plena. Adsit THEODORETVS: Vt qui rosaria inquit demetunt, spinas quidem intactas dimittunt, rosarum vero folliculos legunt, ipsis quoque apibus hanc natura legem instituit, vt non solum floribus, qui sunt dulces insidant, sed qui etiam amarulenti; cum tamen solam dulcedinem hauriant, amaritudinem autem auersentur, ac ex diuersis qualitatibus, amaris videlicet, acerbis, austeris, acutisque dulcissimum mel conficiunt: harum nos exempla sectati ex illorum amarulentis pratis dulce nobis, ac perquam vtile mel componimus. Quod ergo nos sanctorum Patrum vestigijs insistentes aliquid de nostro in Domini Gazophilatium interdum inferamus, quis vnquam reprehendat?

NAM quod Sapientiam huius mũdi (hoc enim insulsi quidam, & præposteri homines semper in ore habent) quæ stultitia dicitur esse apud Deum, bonarum artium, & literarum cognitionem esse putant, turpiter labuntur. Hæc enim Deo non est inimica. Humana est illa sapientia, quam refutat, & aspernatur Deus, vel quæ syderum cursus, vt ait ISICHIVS, & cœli mensuras, & eiusmodi alia quæ comprehendi nõ possunt, scrutatur; vel quæ illa sapit, & meditatur, quæ ad fructus rerum humanarum comparandos apta, appositaque sunt, quam nos prudentiã vulgo appellamus, solertiam quandam accurate & acutè internoscentem molestias & voluptates, eaque adhibentem quæ opes, honores, diuitias, potestatesque sint allatura. Artium vero liberalium, & Philosophię cognitio, in eximia parte verę sapientiæ collocanda est, si sit ea ad Deum ascendere volenti tanquam gradus, non autem ad mundi fastum, pręmiaque conuersa.

AT sermo Dei non in verbo, sed in virtute consistit. Respondeat NAZIANZE. Cur non & ipsi mutam illam eruditionem amplexi sumus? cur nõ aridam, & humi reptantem? cur animaduertentes hac plerosque delectari, doctrinam secuti sumus nouam, & peregrinam? huic quidem acquieuißem & ipse, mihi credite ceu piscator (quando hoc plerique in promptu habent ad excusationem imperitiæ suæ) si doctrina mea vis eßet edendi miracula.

ITAQVE latinitatis qui dicent me videri studiosum, respondebo; quãquam verborum semper studiosus fuerim, nunquam maiorem in oratione colenda, atq; exornanda curam posuisse, quam in rerum, & sententiarum ponderibus examinandis.

nandis. Quod si minus politè & ornatè: Latine tamen, vt inter ingenuè eruditos maximè decet, Sacrarum literarum sensus tractare cuperem. Nam qui genere dicendi inaturato & incondito res Sacras scribere aggrediuntur: ego sane non probo; Latinę linguę puritas cũ Sacris literis coiũcta, ad docendũ & permouendũ animos magnã vim habet, neque decet, quæ prȩclara, & admirabilia sunt, oratione ordida coinquinare, quod in prima illa ecclesia Apostolis necesse minime fuit; Tũc enim signis, & miraculis longe efficacius, quam vlla poßit oratione res diuinæ comprobabantur. Atque hoc est, Sermonem Dei eße in virtute. Illa enim per Ironiam dicuntur a NAZIANZ. *aduersus quosdam, qui cum insigniter rudes ac imperiti eßent, ad Piscatorum inscitiam confugiebant, Ego vero ait expertẽ hanc omnis orationis inscitiam lubens & ipse amplecterer, & exẽplo Apostolorũ Piscator, ac rudis essem, si sermonem ac doctrinam Apostolicam haberem, videlicet vim prodigiorum.*

VINCENTIVS Lirin. Esto o Doctor quasi Beseleel, & speciosas Diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Idem: Quodcumque in Ecclesię *paradiso, Dei agricultura, Patrum laboresatum, hoc idem filiorum industria colatur, floreat, maturescat, proficiat, perficiatur; & prisca illa Cœlestis philosophię dogmata a posteris excurentur, limentur, poliantur. Sed quoniam infinita sunt quę in hanc eandem sententiam ad istos coarguendos in* ΣΠΟΥΔΑΣΜΑΤΟΙΣ *collegimus: supersedeo Lector.*

VIDE Basil. Homil. de Legen. Gentil. libb. Chrysost. Comment. in Genes. 13. Nazãz. lib. de Spir. S. ad Amphiloc. Orige. Homil. 2. in Gen. & Epist. ad Afric. Euseb. lib. 7. ca. 8. de præpar. Euang. Orig. apud Hiero. lib. 5. Comm. Isai. ca. 6. Euseb. histori. Eccl. *lib. 8. ca. 2. August. lib. 7. de Doct. Christ. ca. 15. Epiphan. Heress. 15. 61. 55. 56. 78. Orig. Homil. in Math. & histor. Susan. Theodor. lib. 1. Græcar. affect. ad calcem. Orig. Homil. 11. & 12 in Genes. Isich. li. 7. in Leuit. c. 21. Nazanz. Orat. quod dicerent Constantinop. solium affectare.* Eliam *Cret. in scholijs Naza. Lirinens. lib. 1. con. hære.*



DE FORTI MVLIERE ALPHABETVM ex vltimo capite Prouerbiorum.

Vulgata Editio.

1 ALEPH, Mulierem fortem quis inueniet? procul & ab vltimis finibus pretium eius.

2 BETH, Confidit in ea cor viri sui & spolijs non indigebit.

3 GVIMEL, Reddidit ei bonum & nõ malum omnibus diebus vitæ suæ.

4 DALETH, Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.

5 HE, Facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem suum.

6 VAV, De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

7 ZAIN, Considerauit agrũ & emit eum, & de fructu manuum suarum plantauit vineam.

8 CHET, Accinxit robore lumbos suos, & confortauit brachia sua.

9 TETH, Gustauit & vidit quod bona est negotiatio eius, & non extinguetur in nocte lucerna eius.

10 IOD, Manum suam misit ad fortia & digiti eius apprehenderunt fusum.

11 CAF, Palmam suam aperuit inopi, & manum suam extendit ad pauperẽ.

12 LAMED, Non timebit domui suę a frigoribus niuis, quia omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.

13 MEM, Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentũ eius.

14 NVN, Nobilis in portis vir eius, cum sederit cum senioribus terræ.

15 SAMECH, Syndonem fecit & vendidit, cingulũ tradidit Cananeo.

16 HAIN, Fortitudo, & robur indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.

PE, Os suum aperuit in sapientia, 17
& lex clementiæ in labijs suis.

SADIK, Cõsiderauit semitas domus suæ, panem otiosa non comedit. 18

QVOF, Surrexerunt filij & beatiss. prædicauerunt, vir eius & laudauit eam. 19

RES, Multæ filiæ congregauerunt 20
diuitias, tu supergressa es vniuersas.

SIN, Fallax gratia & vana est pul- 21
chritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

THAV, Date ei de fructu manuũ 22
suarum, & laudent eam in portis opera eius.

Hebræorum verborum vis, fęcunditas, energia.

ALEPH, Mulierem strenuam, Roboris, Copiarum, Opulentã, Probã quis inueniet? cum longe superet gemmas, Carius sit carbunculis pretium eius.

BETH, Confidit ei cor, Animus mariti eius, & spolia non deficient.

GVIMEL, Reddidit ei bonum, & non malum; omnibus diebus vitæ suæ.

DALETH, Quærit lanam & linum, conficitq; studio, Voluntate, Desiderio manuum suarum.

HE, Est similis nauibus negotiatorũ plusq̃ è longinquo portat panẽ, Cibũ suũ.

VAV, Et surgens dum adhuc nox, dedit escam Prædã domui suæ, & pensũ, Diurnum, Demensum, Præceptum, Quotidianum cibum, Sportulam puellis suis.

ZAIN, Cogitauit agrum, & comparat eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam.

CHET, Accingit robore lumbos & confortauit brachia sua.

TETH, Gustau t & vi.quo.bo. negot.ei. no. extin. in noc.luc. ei.

IOD, Manus suas immittit ad Verticulum, Rectitudinem, & palmæ eius apprehenderunt fusum, Sustentarunt sceptrum, Baculum.

CAF, Volam suam expandit pauperi, & manus suas extendit egenti.

LAMED, Non timet familiæ suæ a niue: nam tota familia ipsius vestita est duplicibus Diploidib. Lanis, Coccineis, (Escarlata.)

MEM, Stragula, Tapetia, Cadurca, Torques aureos (Sartales) Vela pensilia fecit sibi, xylinum & purpura indumentum eius.

NVN, Notus est in portis maritus eius, cum sederit cum senioribus terræ.

SAMECH, Syndonem conficit ac vendit, & cingulũ tradidit negotiatori.

PE, Os suum aperuit in sap.& lex, Doctrina clementiæ in labijs eius.

SADIK, Speculatur semitas, Itinera, Rationes, Mores domus suæ, cibum pigritiarum non comedit.

QVOF, Assurgunt filij eius, beatam prædicant, & maritus eius laudat eã.

RES, Multæ filiæ, Fœminæ congregarunt diuitias, Fecerunt strenuè, tu ascendisti super omnes eas.

SIN, Fallax, Falsitas gratia, & Vana, Vanitas est pulchritudo, mulier timens Do. ipsa laudabitur.

THAV, Date ei de fructu manuũ suarum & laudent eam in portis opera eius.

Editio LXX. Symmachi, Theodotion. Aquilę interpretationibus, charactere vario interspersa.

Mulierem fortem quis inueniet? preciosior est preciosis lapidibus quæ talis est. confidit super eam cor viri eius, quæ talis est, spolijs pulcris non egebit.

Operatur enim viro ad bonã, omni vita.

Quæsiuit *Filans cum inuenisset* lanam & linum, fecit quod vtile est, in consilio, Voluntate manuum suarum,

Facta est tanquam nauis mercatorum exercens de longe: congregat autem de longe suas diuitias, VITAM.

Surrexit de noctibus, *dum adhuc est nox* & dedit Escas domui, & *Opera, Constitutum Præceptum, Pensum, Quod conuenit* ancillis.

Considerans agrũ emit, & de fruct. man. suarum plantauit possessionem Præcincta fortiter lumbum *Dorsum* suum, firmauit, Roborauit, Durauit brachia sua ad opus Et gustauit quia bonum est operari *Negociari*, & non exting. lucerna eius nocte.

Cubitos suos extendit ad vtilia, *Fortia*, & manus suas *firmat* ad fusum.

Man. suam aperuit in. & palm. sua. extendit ad pauperem.

Non est sollicitus de ijs quæ in domo vir eius sicubi moratus fuerit, omnes enim qui ab ea, induti sunt, induuntur.

Duplices vestes, Villosas, Lænas, Chlamydes grossiores, Peristromata, Tapetia fecit viro suo, de bysso & purpura sibi indumẽta.

Conspicuus autẽ fit vir eius in portis, quando cunque sederit in consessu cum senibus habitatoribus terræ.

Syndones fecit & vendidit, cingula Chananæis, *Zonam Phœnicibus.*

Os suum aperuit attente, *In sapientia*, & legitimè, & ordinem posuit linguæ suæ.

Fortitu dinem & decorem induit, & lætata est, *Lætabitur, Ridebit* in dieb. nouiss.

Constrictæ mansiones, *Considerat itinera* domus eius, cibos pigros, *Panem socordiæ* non manducauit.

Os autem aperuit sapienter & congruenter legibus, eleemosina autem eius suscitauit filios eius, surrexerunt filij eius, & ditati sunt, beatificauerunt eam, & vir eius laudauit eam.

Multæ filiæ acquisierunt diuitias, *Fecerunt virtutem, Potentiam* tu autem emines, supergressa es vniuersas.

Fallaces gratiæ, & vana pulchritudo mulieris, mulier enim intelligens benedicitur, timorem

timorem autem Domini ista laudet *Timens Do. ista laudabitur.*

Date ei de fructibus labiorum *manuum* eius, & laudetur in portis vir eius, *& laudent opera* eius, & laudabunt eam in port. opera eius.

E Vetustiss. Armeniorum lingua & charectere M. Antonij Abagari Biblijs ante annos 800. scriptis.

Mulierem sani cerebri si quis inueniat: pretiosior ea est, lapidibus pretiosis.

Sollicitum est in eam cor viri sui, nec requiret ea multa spolia.

Operatrix enim est viro suo tota vita, in omni bono, & non in malo.

Reperit cum eo syndonem, & dealbauit manibus suis.

Et facta est sicut nauis quæstuosa, lucrum ferens, de longe congregans Potestatem.

Vidit agrum pulchrum, & emit eum & de fructu manuum suarum operatur terrã.

Accingit potenter femur suum, immittit brachium suum ad opus.

Et gustat quoniam dulce est operari, & non extinguetur in omnibus noctibus lucerna eius.

Manum suam misit ad vtile, & digitos suos ad indesinenter dandum.

Manum suam aperit pauperibus & fructum dispergit inopibus.

Nihil timebit domui suæ vir eius, cum alicubi moram trahet.

Quoniam omnes qui cum ea sunt, induti sunt duplicibus calciamentis.

Fecit viro suo byssum & purpuram, & animæ suæ cingulum,

Conspicuus est in portis vir eius, quando sederit in concilio in medio seniorum, qui incolunt terram.

Syndonem fecit & vendidit, & cingulum fecit Chananæo.

Os suum aperuit cum modestia & sapienter, & legem posuit linguæ suæ.

Fortitudinem & decorem induta est, & lætabitur in die nouissimo:

Confirmatæ sunt semitæ domus eius, & panẽ otij non comedit.

Os suum aperiet sapienter & ex legum præscripto, & miseratio eius eriget filios suos, & exaltabit; & vir eius prædicabit eam, & dicet.

Multæ filiæ acquisiuerunt magnificentiam, Multæ fecerunt iustitiam; Verum tu supergressa es vniuersas.

Fallax gratia, & vana pulchritudo mulieris non est in te: Mulier enim fidelis, & sapiens benedicetur. Timentes dominum laudat ea.

Date ei de fructu labiorum suorum, & laudabitur in portis vir eius;

Quoniam semitæ viri in conspectu eius erunt, & prosperabitur in sæculum sæculi.

S. AVGVSTINVS.

LEGE libros propheticos omnes, non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum inuenies? intellige ibi Christum, non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem a corpore, vt præterita obliuiscens, in ea, quæ antè sunt, extendaris.

IOA-

IOAKIM ET ANNAE FILIAE MARIAE VIRGINI DEI GENITRICI AETERNI PATRIS SPONSAE AVGVSTISSIMO SPIRITVS SANCTI SACRARIO GENERIS HVMANI BONO ATQVE SOLATIO SACER COMMENTARIVS.



DE

B. VALVERDII DE SANCTISS. VIRGINE in Caput vltimum Prouerb. Salomonis COMMENTARIVS.

1. *MVLIEREM fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.*



CELEBERRIMO hoc carmine, quod optarit Vates, ad posteritatis memoriam esse quam commendatissimum, vt cætera quidem sunt, quæ Alfabeti literarum ordine scribuntur; aliquis fortassè, neq. id iniuria existimare possit, voluisse eum, profusiùs & illustriùs explicare, quæ de mulieris officio scripta sunt ab Oeconomicis, & ipse breuiùs & obscuriùs alibi dixisset: *Sapiēs mulier,* non tam externa structura, *ædificat domum suam*, quàm dum sedulitate, & recta familiæ institutione, omnibus modis sartam tectam tuetur. *Insipiens* autem dum negligentia, vel luxu, & mala administratione omnia deperire sinit, ac nimio sumptu redigit in pauperiem viros: *manibus suis destruit eam.*

SED quoniam Vates hic eximius, quamuis varius, multiplex, tectus, inuolutus, suo se indicio prodit; cum multa sint, quæ in solam Virginem possint conuenire, neque enim in extremo, mulieris huius robur & vigilias, solertiam, & industriam, agrum mollitum, subactum, bene cultum, vineam sarritam, ancillarum pensa, vestesq. purpureas & byssinas, aut nobiles natales, non gratiam vultus, & oris venustatem, omnē deniq. externam pulchritudinem vllius esse pretij, sed quæ sit planè Dei timens, eam omni laude dignam esse dicit: ex eo sanè ostendit, se, ijs omnibus, de Virgine incomparabili sub Metaphora locutum.

QVANTVS enim Salomon, quamq. varius fuerit & multus, Aenig-

matis soluendis proponendis, & Diuini scriptores, & externi, vti dicebam, abundè meminerunt. Quæcumque, inquit, quantumuis excellentia, maxima, & eximia dicturus sum de ea, quam hoc Alfabeto aggredior celebrare, ex vno Dei timore cuncta profluxerũt; sine quo, haud magni sunt planè faciẽda. Multas enim legimus viris morigeras, fuisse operias nauas & industrias, familiamq. rexisse, sed nemo existimet, de istis, seriò fuisse me locutũ; sed de ea vna, quæ Domini sit metuens. hoc enim, illius quam nunc mihi propono, omniumq. mulierum laudes, œncomio continentur. Ita enim intelligo, siue abũdent isthæc, siue absint omnia, in Dei timore, omnem istius laudem & gloriam esse sitam.

NAM Salomon, ex occasione matris, cuius præceptis paulò ante fuisset eruditus: Noli Regibus ò Lamuel, noli regibus dare vinum; Ne dederis mulieribus substantiam tuam; & quæ eiusdem modi plura subsequntur, subiungit laudationem eximiæ illius & masculæ Virginis, quam animo spectabat, & cui similem se vsquam gentium posse reperire desperabat. Nam qui Allegorias consectati sunt, eoque audacia & temeritate prouecti, vt mulierem hanc vel Legem Mosis, vel materiam primã, viri, idest formæ domicilium intelligi voluerint: ad agnatos & gentiles sunt planè deducendi.

NAM cum diuinum ingenium Salomonis, cunctos suorum ac superiorum temporum Vates, ea virtute, qua quisque ipsorum esset eminentissimus, longissimè superaret; & natura duce, & patris disciplina, & diuino in primis afflatu ad scribendum duceretur, quamquam & Dei beneficia, & Verbi in carne susceptum ministerium, & Crucis fructum, & opimam prædam populosq. innumerabiles, naturalis oliuæ ramis inserendos, patris inquam Theologiam sublimem & eximiam, & eius oracula, arcanis verbis atq. sententijs comprehendisset: scriptiones tamen suas non satis perfectas esse arbitrabatur, nisi altissimarum cogitationũ illud quasi pelagus, & mare, quod animo concepisset, totum in Virginẽ effunderet; & concentu planè diuino, ac admirabili quadam musica preditus, quam tota mente atque animo intuebatur, claris & apertis verbis, vt nulla superesset difficultas, celebraret Matrem nostri Redemptoris; patrisq. exemplo verbum illud bonum nobis eructaret: *Mulierem* talem, tam præcellentem, & eximiam, tam fortem & strenuam, tot tantarũq. virtutum choro & comitatu septam, tot opibus instructam (quod omne est CHAIL) vt hæc est noua Eua, Patriarcharum proles, IoaKim & Annæ filia, quis facile posit inuenire? quis casu, & fortuito, aut magno etiã labore, & studio conquisitam, credat vsquam gentiũ posse reperiri?

ET certè: *Quis inueniet?* exagerationem magnam habet, vt illud: Quis det mihi fratrem meum suggentem vbera matris meæ? frater Salomonis

monis Christus est. eiusdem populi & gentis filius & alumnus: Descendat, inquit, frater meus in hortum suum. Quem in sua venientem neq. receperunt, neq. locum quidem vllum habuit, vbi caput posset ponere, quemnam eius hortum dicis, Vatum præstantissime? quas descriptiones arborum? quæ tu amœna vireta, fortunatorum nemorum, sedesq. beatas?

SI Deus in domibus eius cognoscetur, carnẽ indutus, hoc enim est: Cùm suscipiet eam, &: Domus mea, idem ipse clamabat, domus orationis vocatur, hunc ego Libanum dico, huc voco, huc postulo descendat. Descendat in templum suum. Certè Isaias, Libanum appellat. Et Libanus, inquit, non est sufficiens ad succẽdendum, & animalia eius nõ sufficiũt ad holocaustum. Thus Hebræi LIBANON vocant. hoc ergo dicit. nisi descendat frater meus in hortum suum, seq. ipsum Patri ratam rationabilem, acceptabilẽ hostiam facere dignetur: neq. taurorum, neq. vitulorum quãtauis multitudo, nulla thymiamatũ, nulla holocaustorum, nulla fumi nebula, non thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij virgula quotidiana, iugis, & continua, præstare nobis poterit peccatorum placationem.

SOLVS ille poterit, qui in Cæli nubibus, humana figura Danieli palam se dedit aspectabilem, & ad Antiquum dierum peruenit, VKDAMOHI HAKREBVHI, Et coram illo obtulerunt eum, & oblatum donum miratus est Pater (Romana canit Ecclesia) quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur nulla macula fœdebatur. nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem.

QVOD si Agnus occisus est ab origine mundi; & elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, cumq. nondum essent abyssi, incomparabilis Virgo, nostrum omnium spiritalis mater erat: iam tum Christus, Salomonis quodam modo erat frater, &, vt in carne Fratrem suggẽtem Matris vbera: sic etiam Dei matrem Virginem superbenedictam, infantem Deum lactantem sacro vbere, aliquando tandem videre peroptabat.

QVIS ergò ait, det mihi te vt fratrem? quis porrò *Mulierem*, non illam, mortuorum potius quàm viuentium matrem, sed nouam illam Euã, nouæ prolis, sanctioris populi regeneratricem: *Quis inueniet?* quis det mihi videre? illa perfrui? genibus prouolutum, venerabundum adorare?

„ *Cogito, quonam illam curram quæritatum. certa est res*
„ *Mensq. mihi illam quærere, quoquo hinc inuenta est gentium*
„ *Neq. mihi vlla obsistet amnis, neq. mons, neq. adeo mare*
„ *Nec calorem, nec frigus metuo, neq. niuem, neq. grandinem*
„ *Imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim,*
„ *Non cedam, neq. quiescam vsq. noctu, neq. diu*
„ *Prius profectò quàm aut illam, aut mortem inuestigauero.*

HIC est enim τοῦ MI IMSA *Quis ineniet?* significatus & vis. certè ad rem omnium maximam, multisq. & magnis difficultatibus obstructam Arcana lingua frequenter solet adhibere. Locos recitabo: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? sic qui ieiunat in peccatis & iterum eadem facit quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? &: Quis ascendit in cœlum, atq. descendit? quis continuit spiritum in naribus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? Rursus: Arenã maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis numerauit? Item: Quis nouit spiritum hominis si ascendat sursum? hoc sensu (obiter istud explicemus) quis proprij ingenij vi, atq. prestantia, aut maximarum artium scientia, & cognitione, vllo modo possit comprehendere: quo tanquam alarum remigio animus, cum euolat è corpore, perrumpat immmensa äeris spatia, & celeri impetu volatuq. feratur, ac penetret cuncta, & magno iudici se sistat. quod igitur his & alijs locis sanequam multis, est animaduertere, illud: *Quis inueniet?* habet hyperbolen insignem.

NAM Mulieris appellationem fuisse dignitatis plenissimam, sexum potius & ætatem, quam quæ viro alligata sit, significasse: non modo scriptores nostri, sed alieni etiam, & externi docuerunt.

PRODEAT vnus instar omnium, princeps & antesignanus Origenes: Vt vir is appellatur, qui adolescentiæ tempus excessit, etiam si vxorem non habeat, cuius vir esse dicatur: eadẽ ratione Virgo quæ pura & illibata permansit: de sola ætatis maturitate Mulier nuncupatur.

RVRSVS: Apostolus cum factum ex muliere dicit, Mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexus indicio nominauit. Est porrò ætatis istud vocabulum, eius scilicet, qua de femineo sexu, de annis pubertatis exceditur, & ad id tempus, quo habilis viro videatur, est trãsitus.

HYERONIMVS: Misit, Deus filium suum factum ex muliere. quòd sanctam, & beatam matrem Domini, Mulierem non Virginem nominauit: idem & in Euangelio scriptum est, quando vxor appellatur Ioseph. non enim necesse erat quasi cautè, & timidè Virginem dicere, cum Mulier sexum magis significet, quam copulam viri.

AVGVSTIN. Ad Leuiticum: Cùm mulier vouerit votum Domini, &c. Hic apparet Mulierem fœminam dici, si Virgo sit more Scripturarum. Iterum: Et omnem multitudinem mulierum &c. Nusquam certius apparet Hebræa locutione, Mulieres etiam dici Virgines solere. Rursus: Et animæ eorum à mulieribus &c. Et hic, ait, superior locutio confirmata est, Mulieres dici, etiam quæ non cognouerunt cõcubitum Viri, idest Virgines.

VIRGINEM ergo vocant Diuinæ literæ Mulierem, sed viro iam habilem

habilem & maturam. nec dum enim patientiæ maritalis leges ſubierat, cùm : Mulier, inquit Adam, quam dediſti mihi dedit mihi de ligno. & Abraham puerum mittens in Meſopotamiam, vt acciperet filio vxorem Virginem, & puer curioſius percunctaretur, ait: Quid ſi noluerit mulier ſequi me?

NAM Mulierem pro vxore vix apud Latinos reperiri arbitror. Vnum eſt apud Cyprian. qui citat ex Geneſi: Quia audiſti vocem mulieris tuæ; vbi Latini ſermonis peritiſsimus, Mulierem pro vxore ponit.

PORRO Virginem à Salomone Mulierem appellari, minus dubitabit, qui externos etiam ſcriptores Virginem pro muliere, quæ virum iam nouit, ſumere intellexerit. nam de Paſiphäe Virg. tauri amore capta:

Ah virgo infelix, quæ te dementia cœpit?

ET Salluſt. Interim Hiempſal, reperitur occultans ſe in tugurio mulieris ancillæ. mulierem ancillam dicit, quod Homerus δμῳαὶ γυναῖκα de Penelopis ancillis, quæ ſe procis vulgauerunt.

FVISSE porrò Mulieris appellationem pleniſsimam dignitatis, apud Paulum reperies; qui vt fœminarum quæ Apoſtolos ſuis facultatibus ſuſtentabant, pudicitiam, & dignitatem oſtenderet: Nunquid, ait, non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi? poſſumus, inquit, quis enim vetat? eas circumferre; at per vniuerſum orbem diſcurrentem ſequi, à nobis permiſſæ non ſunt.

EST & illud dignitatis: Mulier quid ploras? & ſæpe apud Homerum honoris compellatio: ὦ γυναι; & Sophocles, vbi Oreſtem loquentem facit: ἴθ' ὦ γυναι; Ibidemq. Chryſothemis, ἐγὼ γυναικὶς. Et pedagogus: ξεναί γυναῖκες. Certè enim cum ſic loquntur, quaſi alienam videntur compellare, cuius nil aut parum voluntati debeant concedere.

HINC Cæſar apud Dionem, cum nollet Cleopatram Reginã appellare, neque verò humili aliqua appellatione vti, præſertim ne fortunam videretur exprobrare, neque enim vt nunc, Dominas dicere mos erat, Mulierem, victam ipſam Reginam, appellauit.

ITEM Phauorinus apud Agellium, cum vxorem Senatoris ex familia nobiliori auditoris ſectatoriſq. ſui, inuiſiſſet è puerperio laborantem: Nihil, inquit, dubito quin filium lacte ſuo nutritura ſit. Id cum mater puellæ pernegaſſet, & adhibendas pueros nutrices diceret: Oro te, inquit, mulier, ſine eam totam integram eſſe matrem filij ſui.

QVOD ſi quis adhuc ſcrupulus reſtaret, laudatiſsimam Virginem Mulierem, hic eſſe κατὰ λέξιν accipiendam: lecto Iſaiæ loco eximi eũ neceſſe eſt. Nam vbi Iudæos clara & aperta oratione adeò, vt nihil contrà dici poſsit, redarguit atque reprehendit, quòd filiam IoaKim & Annæ Virginẽ ſuperbenedictam, ſine viro pariturã non eſſent credituri: *ISAH*

Mulie-

Mulierem appellare non veretur, quæ Virgo tamen ipſa ſemper extitiſſet.

VAE, qui contradicit fictori ſuo teſta de Samijs terræ. nunquid dicit lutum figulo, Quid facis? & opus tuum abſq. manibus eſt. Filij, inquit, mei natiuitas in carne, abſq. manibus eſt, Lapis eſt abſciſſus de mõte ſine manibus, ſecundus homo eſt de cœlo cæleſtis, templumq. nec manufactum, nec huius creationis. Id ergo non erant credituri, qui videntes opera planè incredibilia, exprobrauerunt tamen inimici Domini, exprobrauerunt commutationem Chriſti ſui. Blaſphemauit. quid adhuc egemus teſtibus? quia filium Dei ſe fecit.

EN hominem ſpurcum, Sacrorum contemptorem. procul hinc recede Antichriſti præco, & Anteſignane. tu princeps Synagogæ turbulentę, & omnibus tempeſtatibus expoſitæ, tu, non Pontifex, ſed paries dealbate, qui Dauidem legiſti: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, hocne commendatione dignum tandem protuliſti? ſed quid non à te debuit pol lutum proficiſci? quid non profanum? quid non vile? abiectum? parum dico, quid nõ potius ſpurcum? tetrum? & immane? Tu cænum & lutum contradicis fictori tuo? teſta de Samijs terræ. nunquid dicit lutum figulo, Quid facis? qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, quomodo blaſphemauit, quod filium Dei ſe fecit?

CVM dicat ipſe Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Ego ſum plaſtes eius, ego ipſe figulus: lutum; maſſa generis humani; luti huius gloria, Virgo excellentiſsima: quid oculus tuus nequam eſt, quod ego bonus ſum? non tu me permittes meo iure vti? terram meo arbitratu, fingere? refingere? meo, inquam, rore perfundere, atque fæcundare? & Verbum quod egreditur de ore meo, ſicut imber deſcendit de cœlo, in terram iſtam mittere? vt aperiatur tandem ſine manibus, & germinet Saluatorem.

VAE qui dicis patri, quid generas? & LAISAH mulieri, quid parturis? quomodo tu inquam, edito filio, virginem te eſſe profiteris? qua fronte prædicas eſſe ſine manibus? non iſtius fabri, ſed ipſius Dei filium? quid tu porrò toties Deum vocas patrem? cum: Mater tua, & fratres tui foris expectent te.

SED inſtat, & vrget magis ſtultam furioſorum ſynagogã tetram, atq. impiam: Ventura interrogate, ò homines nequiſsimi, imò nequiſsimorum hominum perditiſsimi magiſtri: Ventura interrogate ò homines à Deo, & illius Scripturis prorſus alieni, vel potius Deo, & religioni infenſi, & inimici; qui non modo illum, à quo omnis Paternitas in cœlo & in terra, ſummum Iſraelis Deum, quem falſo gloriamini vobis eſſe notum, de quo porrò legiſtis: Ego qui alios parere facio, ipſe ſterilis ero? ſterilem tamen illum, ò monſtra & portenta Diaboli, ſterilem, inquam, eſſe vultis,

& Chri-

& Christum patris filium, exq. Deo Deum, esse non permittitis, oreq. execrandro, prophano, atq. polluto Patri insultatis, ac dicitis, Quid generas? sed, vt nomen etiam, & memoriam eius Matris, quo audito, vobis
refugit sanguen, atque exalbescit metu,
si fieri posset extinguatis: mulieri inquam, dicitis: Quid parturis? Vos, Vos ergò homines fanatici, insanissimi, vt istud vobis os impurũ obstruatur, omnisq. iniquitas oppilare posit os suum: Ventura interrogate. Cùm summus ille plastes vniuersum genus hoĩum ad vitam reuocabit, operiq. manuum suarum porrigens dexteram, dissipata coget, & compinget ossa ad os, Ego enim, ait, plastes, & lutum in manu mea; cùm è terræ ruderibus & parietinis, cadauerum strues, moles, & aceruos, pellem super inducens, mittensq. spiritum suum, ad faciendum verbum eius, ad audiendam vocem verborum eius, excitabit: nũ illa respondeant? se, quæ iam consumpta sint, quæ nulla planè extent, quasi attentè illius tubæ sonum expectarent nõ posse prosilire. ac non potius è locis subterraneis vti fulgura prorũpent? & vocanti respondebunt? At tanti huius operis vnus ego artifex, formator, architectus.

INTERROGATE item preterita, cùm manus mea tetendit cœlos, paraui mihi aliquos notos & amicos? aduocaui socios, qui adessent laboranti? oneris partem sustinerent? opere fessum, fatigatum subleuarent? Quid? cum omni cœlorum militię mandarẽ, pręceptumq. ponerem, quod non transgrederentur: opposuit se aliquis nostrę voluntati? imperium detrectauit? quid ergo audeat lutum mihi se opponere? quomodo tu filium? & in quo vtero generas? & Ioakim & Annę filiæ, Angelorum Dominę ac Reginę dicere: quid parturis?

VIRGA potuit contra naturam, ait August. nuces educere, & Virgo Sancta Maria, non potuit contra naturam iussu Dei filium generare? dicat igitur mihi Iudæus incredulus, quomodo arida virga floruit, fronduit, & nuces protulit; & ego dicam ei, quomodo Maria virgo Dei filium concepit, & peperit. profectò Iudæus nec conceptum virgæ poterit explicare, nec Virginis partum.

HOC vnum Bernardus ait, de virgine, & in Virgine factum miraculum, quot miracula pręuenerunt? quot oracula pręmiserunt? Quod enim Mosy monstratuum est in rubo, & in igne, Aaron in virga & flore, Gedeoni in vellere, & rore, hoc apertè vidit Salomõ in Forti Muliere, & pretio eius.

FORTEM dici etiã potest, pręduitem, copiosam, opulentam, virtute, probitate, illustrem & insignem. Nam CHAIL, animi & corporis robur, militares copias, opes & facultates ingentes, omnium deniq. virtutum cœtum, & comitatum significat.

NAM quod ad huius carminis extremũ, legimus in Codicibus Latinis

nis multæ filiæ cōgregauerunt diuitias, Hebraicè est: Fecerunt CHAIL; estq. germanum & proprium, Strenuè se gesserunt, virtutis exemplo alijs præluxerunt, fueruntq. suis dotibus conspicuæ. & in Ruth, Erat viro Elimelech consanguineus homo CHAIL; potens & magnarum opum, vel proprius, Spectatę virtutis. & Booz ad eam: Nouit omnis populus meus te mulierem esse CHAIL, strenuam, probitate insignem, & rectè Vulgatus Interpres: Vt sis virtutis exemplum.

NON ergò ea mulier corona est viro suo, vt ait Scriptura:

quæ nunquam cessat ex industria,

„ *Postquam illuxit aurora, aut tergeri, aut ornarier,*

„ *Poliri, expoliri, pingi, fingi, inuenusta ne fiet.*

non ea, cuius viro negotiandum sit, aut nauigandum, forisq. & sub dio laborandum, vt

„ *Illas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,*

„ *Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,*

luxum deniq. & delitias inexplebiles sustentet inuitus; non ea, inquit, corona est viro suo, sed,

„ *Morigeræ vxoris virtus cui contigit omnis*

„ *Fama pudicitiæ, lanificæq. manus.*

„ *Coniugij fides, & natos cura regendi*

„ *Et grauitas comis, lætaq. serietas,*

de qua deniq. mentiri fama veretur, eam Coronam viri, Mulierē CHAIL siue exercitus, iure optimo dixeris, Exercitum porrò virtutum chorum, & comitatum intelligo.

IAM homines strenuos, nauos, & industrios, virtute & animi robore pręstantes, etiam viros CHAIL Arcana lingua vocat; quales optabat Pharao inter fratres Ioseph, quos suis posset pastoribus præficere.

ET quos dicitur adhibuisse Moyses regendo populo Vicarios, administros, item appellat viros CHAIL, virtute potius præcellentes, quam quod est apud LXX. δυναμένους potentes scilicet. nō enim viribus aut velocitate corporum res magnæ geruntur sed consilio, auctoritate, sententia. hāc certè τοῦ CHAIL interpretationem legimus: Timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam; quas virtutes Mosem, vt Sapientiæ Aegyptiorum peritissimum ex faciei, & vultus lineamentis, totiusq. corporis conformatione deprehendisse: auctor est Ben Iochay auctor vetustissimus.

NAM si CHAIL de animi robore, & fortitudine libeat accipere: quā fortem esse oportuit, quæ vna cœteros omnes, quantamuis strenuos & inuictos Dei milites, incredibili tollerantia superauit?

ETENIM cùm videret in tanta celebritate, maximo festo, incredibili

dibili populi frequentia pendere, probrjs lacerari, vulnerari mortuum, sanguinis & aquę vndas ex eius corpore profluere quem Deum esse sciret, & proprij sanguinis alimonia sustentasset, cuiusq. in corpore, cuiusq. ex sanguine concretus homo, & coalitus esset, spiritumq. duxisset in animũ atq. in corpus suum, ex corpore & animo ipsius, quasiq. eandem indolem configurasset; cùm videret, inquam, in extremis doloribus, in facinorosos verò nil tale perpetrari, insultãtibus porrò: Maria iam filius tuus mortuus est, tacitam semper sublatis intẽtisq. in eum oculis, velut amisso matris sensu, nihil eã legimus muliebre dixisse aut respondisse, quam fortem illam esse oportuit? quam inuictã, inquã, eam existimabimus fuisse? quam idem sacer hic Vates, cùm infinitis aliis extulisset laudibus, tum in eiusmodi deinceps verba prorumpit, quibus eam depingit progredientem quasi Auroram, pulchram vt Lunam, vt Solẽ autem claram, terribilem porrò ac metuendam, non secus quam castrorum aciem ritè atque legitimè ordinatam.

SI *CHAIL* est exercitus, id est virtutum comitatus & chorus, vt certè est, quid quæso illa vnquam maius aut admirabilius, vllo vnquam tempore inuentum est? seu aliquando inueniri poterit? quid quæso, vlla de femina tam egregium? tam amplum? tam laudabile? tam singulare atq. magnificum? tam extra consuetudinem aliarum feminarum positũ, verbis dici possit, quod suis innumerabilibus eximijsque virtutibus, excellentia & maiestate sua non sit ducendum inferius? non enim cùm Mulierem *CHAIL* virtutis & probam dicit, solum id dicit, quod vulgare, quod obuium, quodq. in promptu est, Habebit sua ætas quam omnibus omnium ætatum eximijs feminis possit anteponere; sed hoc dicit, quod tot temporum ac sæculorum ætatibus, personat & semper personabit Catholica Mater Ecclesia: Quæ angelos vincit puritate, & omnes sanctos superat pietate, talem inquam mulierem, alicubi quis possit reperire?

NAM cuius ab infantia corpus animamq. sanctiss. Spiritus ille sanctus liberalis, & munificus ita impleuerit, penitusq. eam occuparit, vt dignũ fecerit se ipso domicilium: num existimanda est, filia hæc Dauidis & Abrahæ Virgo prudentissima, aliquid vnquam tanto incola & habitatore indignum admisisse?

NON de eo Ecclesia diuinitus edocta, in eximijs eius laudibus vsurpare consueuit? Adiuuabit eam Deus mane diluculo, idest: Cum essem paruula placui altissimo, & cum ætatis incremento virtutum omnium incrementa coniunxi.

NAM vt si æternus pater, omnes mulieres filio ante oculos posuisset, eique pollicitus fuisset, quam sibi is omni ex illo numero delegisset, eam illi parentem, & genitricem futuram, quam potius matrẽ quam Ioakim, & Annę filiam, Mariam sibi sumeret, is mediusfidiùs non habuisset; de qua

quidem nunc, etiam si nihil aliud dicerem, existimandum tamen est, admirandam, atq. Diuinam hanc Virginem ipsam fuisse; ad quam quidē procreandam, illius temporis longè prestantissimus omnium virorum vir, longè lectissima omnium fœminarum fœmina, Dei immortalis voluntate cōuenissent, eiq. parentes extitissent.

NON enim temerè, neque fortuitò tam præclaram, tam insolitam, tam nunquam antea propè auditam viri vxorisq. societatem initam coalitamque est credendum. Itaq. ad ipsius laudem generis, & familiæ decus pertinere censendum est, quod ab hoc eodem Vate appelletur, Filia principis: Quam pulchri sunt, inquit, gressus tui in calceamentis filia principis: Virginis pater, ait Nyssenus, fuit insignis quidam ciuis, obseruantia legis, & vitæ probitate imprimis nobilis.

QVI porrò populus? quæ gens? quæ natio si Christiano nomine censetur, vel tam immanis & barbara, vel tam exculta disciplinis, cuius in conuentibus sacris & solennibus, voces illę non perstrepant? reboent? quā longissimè audiantur? Natiuitas tua gaudium attulit vniuerso mundo; cuius chori, suggesta, templa, non his neruorum vocumque cantibus personent & impleantur? O genitrix Virgo vita tua inclyta cunctas illustrat ecclesias; Regali ex progenie Maria exorta refulget. Quid enim omnino laudabilius quam parentes habuisse sanctissimos viros? omniumque sęculorum memoria celebrationeque clarissimos? Nam quemadmodum in equis dignitatem soboli afferunt parentum animi, aut firma latera, pernicitas, aut pulchritudo, in arboribus autem ea plerumque laudantur, quæ optimis ex seminibus coaluerunt: ita etiam in hominibus, claris esse parentibus genitum, semper pulcherrimum atque honestissimum fuit.

PROCVL & ab vltimis finibus pretium eius. Mulier illa *CHAIL* idest, vere potens, & mascula Virago, quam iam nunc conspicio ab Angelis adorari, si illius decorem, splendorem, maiestatem, & in omnes creaturas potestatem, præcellentiam secum diligentius quis consideret: precium quidem ipsius, precio omnium gemmarum ab extremo vsque Oriente deductarum, non bene omnino comparabit. *Procul*, Cœlo potius quam terris expectanda. Nam quod ipse Dei ac Virginis filius frequenter vsurpabat: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, & in primis ipsius matris laudibus, ipso æncomij aditu, & quasi fundamento: Factam esse legimus quasi nauem institoris, quæ de longe portat panem suum: perinde etiam nunc *Procul, & ab vltimis* Cœli plagis, vnius Dei dono ac beneficio, potius quàm vlla industria posse comparari: Ego in altissimis, inquit, habitaui, & gyrum Cœli circuiui sola, primogenita ante omnem creaturam, Quando enim cumque Deus eā vidit, vidit autem semper, & ante sæcula æterna: vidit vt sponsam, vt filiam primogenitam, vt

filij

filij genitricem habuit charissimam.

SED cum pro *Vltimis finibus*, Gemmas Salomon posuerit, ita enim scripsit: *Procul MIPENINYM*, Plusquam margaritæ comparatio eius, quod & LXX. Interpretes secuti sunt, apparet Latinum interpretem, *Fines vltimos*, pro maris terræq. intimis recessibus dixisse. Afferat, inquit, nobis mercator aliquis has merces, & talem, si educta est vsquam gentium, mulierem producat, dabimus quod iustum est; nulla erit in precio difficultas.

NAM, Iob de eorum auaritia, vel insania potius, & furore, qui terrarum venas perfodiunt, ad eruendas margaritas, Ad silicem, inquit, extendunt manum suam, subuertunt à radicibus montes, in petris riuos excidunt, & omne pretiosum eorum oculus vidit. Profunda quoque fluuiorũ scrutatus est, & abscondita in lucem produxit. Et Seneca: Illi quoque maiores nostri spe ducti mõtes cęciderunt; & supra lucrum sub ruina steterũt, & relicto spiritu libero, in illos se demisere specus, in quos nullum noctiũ dierumq. perueniret discrimen. Neque verò vlla necessitas hominem ad sydera erectum incuruauit, & defodit, & in fundum telluris intimę mersit, vt erueret aurum, & descendere auderet, vbi nouam rerum positionem terrarumque pendentium habitus, & aquarum horridos fontes (Profunda quoque fluuiorum scrutatus est) & altam, perpetuãq; noctem experiretur.

ILLVD autem: Tẽpus posuit tenebris, nimirũ facibus inductis, Et abscondita in lucem produxit: Auri inueniendi tertia ratio ait Plin. opera vicerit Gigantum. Cuniculis per magna spatia actis cauantur montes ad lucernarum lumina. Vniuersorum finem ipse considerat, lapidem quoq; caliginis & vmbræ mortis, cuius semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus Vulturis, non calcauerunt eam filiæ strutionum, nec pertransiuit per eam Leęna, Seneca: Defossos & in fundum telluris intimæ mersos homines dicit, nouamque rerum positionem, & terrarum pendentium habitus, & Plin. Eadem mensura vigiliarum est, multisq. mensibus non cernitur dies, nihilq. durius putant, nisi quod inter omnia auri fames durissima est.

IAM quod ait: Subuertit à radicibus montes: Ceruices fornicum ab vltimo cædunt, datque signum ruina, eamque solus intelligit in cacumine montis eius peruigil. Mons fractus cadit à sese longo fragore, qui concipi humana mente non possit, & flatu incredibili; spectant victores ruinam naturæ, nec tamen adhuc aurum est.

ET Democritus: Ego verò vnum hominem rideo, quod terræ hiatus eorum opera, & labore perscrutatur, qui tum dehiscente & sidente terra opprimuntur, tum diuturna eiusmodi necessitate coacti, in supplicijs quasi in patria, vbi quisq. natus est, suauiter viuunt, inibique perseuerant

aurum & argentum ſitientes, pulueris ramenta perſcrutantur, alteram atque alteram arenam fodientes, terrarum venas & penetralia excindunt, inimicam ſibi & infeſtam quæ communis omnium mater eſt, terram reddentes, eamque quam tantopere admirantur, pedibus tamen terũt. Gręca enim ſunt: Ἐγὼ δὲ ἕνα γελῶ τὸν ἄνθρωπον, ὅτι χάσμα τῆς γῆς ὀρύσσει διζήμενος χέρσιν, ὧν οἱ μὲν ὑπὸ συμφῆς ἐπιπτύσης τῆς γῆς ἐφθάρησαν, οἱ δὲ πολυχρονίως ταύτην ἔχοντες τὴν ἀνάγκην, ὡς ἐν πατρίδι τῇ κολάσει διαμένουσιν, ἀργύριον καὶ χρύσιον, μαστεύοντες ἴχνη κόνεως, καὶ ψήγματα, ἐρευνοῦντες ψάμμον ἄλλην ἀλλαχόθεν, ἐγείροντες, καὶ τῆς γῆς φλέβας ἐκτέμνοντες ἐς περιουσίην αἰεὶ βωλοποιέοντες ἐκ γῆς τῆς μητρὸς πολεμίην γῆν, καὶ τὴν αὐτὴν ἐοῦσαν, καὶ θαυμάζοντες πατοῦσι.

ET quoniam inſignem hunc Iobi locum Salomon meminerat: *Procul* ait, pluſquam margaritæ *pretium eius*. Ita, inquit, exiſtimandum eſt, minus difficile eſſe, ex intimis terrę viſceribus & montiũ penetralibus, quos igni & aceto rũpunt vapore & fumo ſtrãgulante, eruere margaritas: quàm talẽ, tot tãtiſque virtutibus præditã mulierẽ poſſe reperire. Nã qui diuinæ legis monumenta haberet in numerato, ſingulaſque Sacrorum voluminũ partes diligenter perlegiſſet, ſectionesquotidie recitaret, verſus tanquã aliud agẽs, non minus iucunde, quàm eleganter cõmutat, & reddit meliores, vt licet vnde quidq. ſumptũ ſit appareat, aliud tamẽ eſſe videatur. Atque ideo vt decet inter eruditos, è ſuis fontibus illũ fuſius explicaui. Nemini enim obſcurũ eſt, quãtopere cõducat, huiuſmodi honeſtiſsima furta ad ſuos referre dominos, & purpuram, vt eſt in prouerbio, iuxta purpuram diiudicare.

2 *CONFIDIT in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit.*

CASTISSIMAE Virginis virũ ſiue ſponſum, *BAHAL* enim Spõſũ potius ex Ioele interpretor: Plange quaſi virgo accincta ſacco, ſuper virum pubertatis ſuæ, cui deſponſa inquit, cui fides data ſit, non quæ maritalis patientiæ leges ſubierit, non. n. virginem Vates appellaſſet. Sponſum ergò Virginis ſacroſanctæ eſſe ac dici Ieſum Chriſtum, cum nemo Chriſtianus ignoret: videndumporrò eſt, quid nam ſit quòd ille de Virgine confidat. maxima certe illa, eaq. inaudita, inuſitata, incredibilia

NON tu diuina Virago, vnam præclarè tantummodo rem, ſed in vna re pręclaras plurimas, atque permagnas, vt crederet feciſti. Nam primũ quidem omnium, cum ab antiqua maiorum tuorum ſerie, acceptum atq. traditum poſsideres, quanquam à bonis parentibus mali filij, flagitioſiq. procreantur, pręſtare tamen ſobolem habere, quàm liberorum ſpe deſtitui, & longè eſſe meliores, quæ ſuſcipiendæ ſobolis ſtudio tenerentur, & generis, familięque propagandæ, quàm quæ liberorum ſpe deſtituerentur: tu tamen Patriacharũ proles, ſæculorum progenies initialis, rem pręclaram, & inauditam animo comprehendens, ſpe potius liberorum carere, iram

gentis incurrere, id eſt, ſterilitatis probro & maledicto laborare, quod tum putabatur miſerrimum ac porrò infœliciſsimum, nullam denique de te voluptatem cuiquã hominum afferre, quam Deo ipſo, cui te deſtinaueras, quam vlla iura coniugij expectare decreuiſti. Hoc ergo illud eſt, quod, *Confidit de te cor viri tui*, quòd more quidem omnium, cum ad coniugium exercendum te conuertere poſſes, & ſuſcipiendaeprolis, ac liberorum ſpe teneri, & quas ex coniugio fœminæ in tota vita capiunt voluptates, ad quas quidem, & natura te, vti omnes, & gentis legiſq. inſtitutio, & matrum ſanctiſsimarum exemplum, & affuturi Mesſię fama, quę eam de ſe iam tum ſpem excitauerat, ita hominum animos ſui expectatione impleuerat, vt quem inſpicere ipſum nondum poterant, odorem naſcentis & quandam quaſi flagrantiam ſe percepiſſe opinarentur: cum ſingula, inquam, te non modo excitare, ſed planè accẽdere, atque inflammare penitus debuiſſent: ijs omnibus carere, & pudicitiæ florem ad rogum vſque perferre, duxiſti ſuauiſsimum.

ITAQVE qua ætate alię plerumq. principum filię nucibus ludere, vel ploſtellis ſolent: diuina Virago vertibulum aut fuſum contorquebat; qua fabellas illæ de nutricibus audiunt: hoc in templi adytis cantorum hymnos, cymbalorum ſonitus, neruorum vocumque cantus & concurſus hauriebat; qua illæ nutrices obſeruant ſuas: illius orantis labiorum murmur, oris pulchritudinem, & oculorum totiuſque vultus admirandam venuſtatem, atque manſuetudinem Angelorum cohortes legioneſq. reſpiciebãt, Diuinas Scripturas verſantẽ, meditantẽ, recitantẽ mirabãtur.

FALLITVR enim ſi quis putat, Angelorũ dominã in Hębraicis ſcripturis mediocre aliquod ſtudiũ poſuiſſe. Nam cùm ea nata nil patre Ioachimo lætius, nil Anna hilarius eſſe potuiſſet, enutririque puellam ſumma diligentia iuſsiſſent: omnem tamen educatorum diligentiam admirabilis planè puellæ natura, ingeni jque vis anteuertebant.

NAM linguã quidem flectere, proferre voculas verbis verba nectere antedidicit, quam ab alijs propè dixerim, ſumi cibus aut potus poſsit diſci. Prima verò literarum rudimenta ea ætatula hauſit, qua vix cęteri ſolent loqui. Nulla porrò totidem annorum non ab illa puella omnibus in rebus præterita eſt; nulla non longiſsimè relicta. Itaque puerilibus illis in ſtudijs iam non pueriliter ſe gerere, ſpeique multò plus alere, quam illa ætas daret, videbatur.

INGENII mira quędã cùm alacritas, tũ celeritas in percipiẽdo, in retinendo nullus labor; labor autem? immò admirabilis quædam naturæ vis incredibilis atque præſtantia. nulla ei præceptio difficilis ad percipiendum viſa, ne longa quidem vnquam ad ediſcendum, breuior aut quam vellet, quam ipſa ſe poſſe aſſequi confideret, ſæpiſsimè. Itaque difficilius

nutrici

nutrici ac præceptrici veniebat in mentē, quid eam illa doceret, quam quid illa diſceret, ſtatuere:

QVAMOBREM multa ei dum ad diſcendum proponuntur, illa oĩa conſequitur, eò res venit, vt ea non plurium propè menſium ſpatio, quam alij annorũ, ita Hebręas literas calleret, vt Chaldæas patrias atq. ſuas neq; ea illas ita perceperat, vt vſuram ipſam legendi atque intelligendi tãtum putes. Nam qui legunt ea quæ non aſſequũtur, indiſtincta faciunt & confuſa quæ legunt, & ſententias intercidunt, & verba corruptè pronuntiant, ſed quaſi illud audiuiſſet:

„ *Tu flexu & acumine vocis,*
„ *In numeros numeros doctis accentibus effer,*
„ *Affectuſque impone legens. diſtinctio ſenſum*
„ *Auget, & ignauis dant interualla vigorem,*

ipſas etiam vocum inflexiones, intentiones, remiſsiones, poſituras, multũ à noſtris alienas atque varias, ita breui tempore didicerat: vt illæ ipſæ quibus eam pater ad diſcendum tradiderat, cùm quidem in vita nihil aliud egiſſent, non magiſtræ iam ſtudiorum, ſed adiutrices; non doctrices, ſed ſociæ, non interpretes, ſed teſtes adeſſent; atque admirantes dicerent non habere iam ſe quod eam vlteriùs docere poſſent.

QVIBVS illa initijs ſic adoleuit, vt cum omnes ſacrorum voluminũ partes haberet propèmodum in numerato, totamq. ſe meditationi, lectioni, lacrymis, precibus dediſſet, concupiſceretq. illius atria:

„ *Toto qui noſtra iure ſibi Domini vindicat,*
„ *Et corda, & ora, & tempora,*
„ *Se cogitari, intelligi, credi, legi,*
„ *Se vult timeri, & diligi.*

maiora iam, & dictu audituque incredibiliora *Confiderit ei cor viri ſui*; ſe nimirum æterni Dei filium, Iſraelis illud æternum Verbum, è ſinu Patris in eius gremium deſcenſurum, carnis ſuæ ſtola veſtiendum, alendum ſanguine ſuo, eundemque ſanguinem aduentante iam partus tempore, in ſupernas ſe partes proferentem, ad fouenda vitę ac lucis rudimenta ſibi præſto futurum. Hæc inquam omnium maxima myſteria ſublimia, inaudita, arcana incredibilia (Naturæ iura mutantur, ait Eccleſia, in homine Deus naſcitur, Virgo ſine viro grauidatur, Viri neſciam ſermo Dei maritat, ſimul facta eſt Mater & Virgo, mater facta, ſed incorupta, Virgo habens filium, neſciens virum ſemper clauſa, ſed non infæcunda) quæ facere vellet Deus miracula & prodigia ſuper terram ſine vllis ſignis, Gabrieli denuncianti *Confidit* credituram. Quanquam enim Diuiniſsimi colloquij, inq. mediam noctem producti, Hierarchiarum principes, & Angelorum chori innumerabiles, tantæ legationis ſocij & teſtes ex

titerunt

titerunt: vni tamen Gabrieli, paterni consilij principi interpreti ac nuncio, datum est, vt omnium ore loqueretur; & cogitationes illas antiquas, & misericordias Dauid fideles, omnium Dominæ ac Reginæ denũciaret.

SED quoniam legimus scriptum, Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, Rursus Angelus ad virum: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, de eo item, *Confidit*, ait, *in ea cor viri sui*.

NAM cũ difficillimum sit, iustum dolorẽ temperare, ardet enim & furit zelotypus vindictæ desiderio, & nil est tanti quo redemptum velit patratum scelus, Neq.n. grãdis est culpa, cum quis furatus fuerit, furatur enim, vt esurientem impleat animam, at qui adulter est, opprobrium eius non delebitur, quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima; quã quam ignarus ille Diuinorum consiliorum, & cum præter omnem expectationem, illius ventrem videt intumescere, non satis comprehendens, quæ nam prodigia Deus facturus esset super terram: *Confidit* tamen, tantum abest, vt exasperetur, vt quidquam percontetur, aut pulcherrimæ & eximiæ Virginis admiranda pudicitia, & sanctitate indignum iudicet: vt confidat potiùs, & præut erat modestissimus, perhumanus, mitissimus: incomparabilis fœminæ consuetudinẽ vereatur & conuictum, deq. eo etiam pertimescendum sibi putet.

ET *spolijs non indigebit*. Cũ matronę diligẽtis summa laus sit, nõ inertẽ aut desidem viuere, sed domestica oĩa obire ministeria, nã: Sapiens mulier ædificat domũ suam, æterni inquit Patris filio, tũ Iosepho sponsis, intra domesticos parietes se recipientibus Virginis laborem, industriam, diligentiam, fuisse tanquam ad requiem datam; ipsam vigilijs suis domesticis suffecisse laboribus, domus curam subiisse, non desidem, cogitatione vagam, aut à Iosepho auersam; sed meminisse atque prospexisse in posterum, atque elaborasse, vt quamminimam operam illi intra tecta impẽderent; intellexisse se adiutricem datam, neque domesticarum rerum curam fatigato sponso aut viro remisisse. Itaque sapientia sua, & diligenti ac sedula rei familiaris administratione, vtrique satisfecisse, quascunque res ad vitã necessarias (id enim Sacra lingua vocat, *Spolia*) labore & industria vir eius comparabat: intus illam tectis recondisse atq. custodisse. Flagrasse enim Virginem excellentissimam diligentiæ æmulatione, atq. studuisse rem vt cumq. tenuem, cura sua maiorem, atq. meliorem reddere. Sed altius pronectus est hoc loco Salomon, cũ *Spolia* dixit. videtur enim potius admirãdæ Oeconomiæ quasi Tragœdiæ extremo actu, susceptũ in carne vniuersum ministerium comprehendisse, dixerat enim: *Confidit in ea cor viri sui*, est illius sponsus pacato animo & securo, omne mysterium Redemtionis credituram, vnde ipse *spolijs non indigebit*; nam & fortem armatum pellet

let & deijciet, & arma illius auferet, &: Spolians, vt ait Paul. principatus & potestates, cum fortibus diuidet spolia. vnde vnus è sectatorum numero, Lupus ille rapax, mane prædam comedet, vespere etiam Euangelica diuidet spolia.

3. *REDDIDIT ei bonum & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.*

IAM hic Virgo excellentissima, in demerendo viro, bona illi gratia referenda, omnibus diebus vitæ suæ, est fœminarum omnium laudem prætergressa. Nam reliquarum quidem omnium de quibus audiuimus, aut omninò quarum historias diuinis Codicibus legimus, modestiam, pudicitiam, probitatem, castitatem, continentiam laudare certè possis; atque in eo tantum illis tribuere, quantum merentur: at Virginis superbenedictæ *bonum*, quod *reddidit sponso*, studium erga virum, non modo nunc quibus verbis laudem non habeo, sed neque vnquam perinde quidem ac debet, admirari quemquam satis posse confido. Illarum enim omnium humana mihi videri virtus solet, in Reginę huius pręclaro facinore quidquid est: omne est demissi de Cœlo muneris atque diuini.

NEMO enim putet, vllam vnquam fœminam, æque *bonum sponso* reddidisse, ac illa reddiderit; æquè magnum de se exemplum pudicitiæ præbuisse, atq. illa præbuerit. Non n. illa eum pudorem præstitit, quem pręstari leges iubent, nam id permultę sanè mulieres fecerunt; quas cum virorum, tum honestatis certè amor in officio continuit; at illa eum pudorem & pudicitiam præstitit, quam pręstari neq. Mosys lex, neq. mos, neque consuetudo illius populi iussit.

POSSE enim tantũ fœminam, in hominum eo tempore cogitationem nunquã incidit. Itaque loquente Angelo, nihil illa potuit dici aut cogitari verecundius. postea sua conscientia contenta, hominum rumores prædicationemque minimè aucupatur, tantum miraculum silendum sibi potius, quam commemorandum putat.

IAM quæ discipulorum vlla probitas? quę virtus? quæ fortitudo? quis voluntatis & consiliorum tenor? quæ perseuerantia vnquam fuit, cum huius Reginæ ac Dominę, animi magnitudine, mentis constantia, ęquabilitateque comparanda? quę cum pręstat, quanquam illi contigere omnia viri beneficio, viroq. reddit, quæ accipit à viro: *reddit* profectò ei *bonum & non malum*.

ET quod ait: *Omnibus diebus vitæ suæ*, non viri, sed Virginis vita intelligenda est. In quo Vates eximius, maiora comprehendit. De sponso inquit, cui ipsa superuixit, benè meretur etiam mortuo. Vidit ergò matrem nostri Redemtoris, osculantem Nati vulnera, corpori diuino cõdiendo, siccando, inuoluendo, alligando incumbentem An non *reddit bonum*

num, cum depositum de Cruce virum, códi sollicitè curat? adstantes excitat? triduanam absentiam fore pollicetur? Apostolorum denique se prębstat ducem doctricem & magistram? neque abdit se, deditque lacrymis ac luctui? sed discipulis circumfusa expectat filij promissionem, cętumq. & Senatum Apostolicum confirmat: bonum eximium sanè viro *Reddit, & non malum omnibus diebus vitæ suæ.*

4 *QVAESIVIT Lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

QVID enim admiranda Virgo, panem otiosa comedisset? aut pauperi viro, migranti de nido suo, aut iam neganti.

„ *Satis se habere quod det: oportet quærere.*

molesta & odiosa responderet, at Virgo excelletissima, & mascula virago, ne lanā quidem aut linum, vt cultam habeat vestitamq. familiā à marito petit, sed potius quęrit ipsa sibi: ne viro molesta sit. Et quanquā spes Ierusalē, & lætitia Israel Virgo sacrosancta, vestem non aliunde quęsitam induxit filio, sed quam suis manibus neuit, aptauit, glomerauit, & texuit, quis enim alter dicat? aut hoc matronalis virtutis & sedulitatis exemplum, in tali Virgine requirat? aut domi sedētem, confectam aliunde vestē pecunia coemisse credat? sed quoniam carmen hoc est singulare & eximium, & altiora comprehendit propheticus spiritus, quàm vt vllam nuptam celebrare instituerit, neq; sublimius aliquid spectare: Lana hic & linum, quoniam his vtimur ad corpora tegenda, D. N. Iesu Christi caro est ; quem cùm circundedit corpore, & vestiuit extrinsecus, quęsisse illi lanā & linum, & ad mirandam illam telam *Consilio manuum suarum, operata esse dicitur.*

ET quanquam lana pecori detracta, non Orphæi tantum, & Pythagorę, sed iam inde ab Hebræis temporibus, profanus vestitus: est sacerdotibus interdictus; est enim apud Ezechilem, Non induentur in sudore, lana, inquit, ad lumbos & axillas: sed quoniam diuinæ Virginis sponsus, ab ipsius vtero Exultauit ut Gigas ad currendam uiam,

„ *Dum cupit optatam cursu contingere metam,*

„ *Multa tulit fecitque puer sudauit & alsit.*

& quod Virū dolorum, & scientem infirmitatem, leprosum, liuentē, deniq. percussum à Deo, quondam visum iri dicit Isaias: id oē à carne mortali est, filio lanā dicitur quæsiisse cum illā carne circūdedit & vestiuit extrinsecus.

SED ne quis eiusmodi imbecillitatem carnis naturæ vitio, aut vllis eius sordibus putaret tribuendam, vt eandem carnem Dauid purissimam planè, Ebur certè appellauit: Myrrha, inquit, gutta & Cassia à vestimētis tuis à domibus eburneis (carnem enim animæ domicilium & indumētum esse, & dici quis ignorat?) sic nunc eandem mundissimam appellat.

HVC enim Lini appellatio referenda est. *Quæsiuit* certè *Lanā*, sed Lana

est purissima. Linum certè est. nam Lineum textum purissimũ est rebus Diuinis velamentum, & mundissima Lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui, & amictui antiquissimis Aegyptiorum sacerdotibus: sed opertui quoque, in rebus sacris vsurpata. Et ne vllus relinqueretur dubitationi locus, loqui se de carne Redemtoris, clarissimis apertisq. verbis atque sententijs, Euangelicis certè vsus est. Nam quod ait Christus: Panis quem ego dabo caro mea est; &: Ego sum panis viuus qui de cælo descendi, ex Salomone sumtum est: Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum.

Et operata est consilio manuum suarum, Et hæc ad eius ipsius de qua loquimur cunctorum Dominæ ac Reginæ, gloriam & decus ita pertinent, vt omnes illius laudes atque adeò vniuersa rectè facta, vno hoc œncomio putem contineri. Nam quod *Consilio manuum suarum operata esse* dicitur: illa ipsa nostræ Virginis tam grata, tam eximia voluntas in hac tela pertexenda, illa ad rem rerum omnium maximam, & admirabilissimam obeundam indefessa nauitas, & vis, quæ virtutibus reliquis suffragata est, fuitq. earum adiutrix omnium & tanquam administra, hoc inquam illud est *Consilium manuum suarum.*

IPSA, inquit, *Operata est*, huius suę gloriæ nullã rem sociam habet, nullius adiumento ad illam promerendam vsa est, Istius telæ filum, trama, stamen, & subtegmen, totum illud quantumcunq. est, quod quidem maximum atque infinitum est: vnius eius est; ipsa sibi debet, ipsa se audiuit, ipsa sibi ad imitandum proposuit, *Consilio manuum suarum* vsa est; exemplum enim nullum habebat, ipsa id egit, quod ne faceret multa illã semper sunt dehortata, vt faceret: nullum vnquam adiutorem habuit, nullum admonitorem præter se, nullius vocem aut nutum hausit præter suum.

NAM si Hebraicarum vocum vim & rationem spectemus: non tã *Consilium*, quàm illius in hac tela pertexenda desiderium, flagrantissimum studium, contentionem animi, & ardorem incredibilem, nihil vt ipsius optatis ac votis posset satisfacere, accipere debemus. Id enim est *CHEFES*, & θέλημα significanter dixit Symmachus.

IN quo etiam cum Hebręarum vocum origines rationesq. considero: Vatem hũc eximium satis mirari non possum. Nam cum Arcana lingua, *BAKAR*, & *BAKAS* dicat *Quęrere*: nunc certè nullo istorum vsus est. Non enim videbatur satis expressurus, quas Virgo innocentissima nocturnas vigilias vigilabat; non murmur illud labiorum cum puras ad Deum manum tolleret; non castissimæ Turturis de sponso silentes quærimonias; non denique mentis curricula, & spatia in quibus,

Cum læta bibisset sobriam
Ebrietatem spiritus

suauissi-

ſuauiſsimè exercebat, tractabat ſcripturas, cum medijs noctium dulciſſimis ſilentijs ſomnum capere non poſſet,

,, *Intenta ſupplicatio*
,, *Dormire cor mundum vetat*,

dum aſsiduo precum murmure, ignis exardeſceret, intra ſe cor illius caleſcebat.

ITAQVE ne tantus Vates, manus Virginis lanificas laudare putaretur: pro *Quæſiuit*, *DARSAH* poſuit. quod verbum Aſsiduè tractare, Recolere, Meditari, Diuinas Scripturas, Commentari & Diſſerere ſignificat; vnde peritiſsimi quique Diuini verbi enarratores dicuntur *DARSANIM*.

ET quoniam, vt ad menſam tabernaculi, nō ſolum Phialæ, ſed & Scyphi parabantur, ſic ad menſam cibi ſpiritalis (Gregorij verbis vtor) non ſolum exhibenda ſunt magna & arcana, quæ inebriēt, quæ ſunt phialæ; ſed etiam parua & ſubtilia, minima ac tenuis de Deo diſquiſitio, quæ, vt Scyphi, quaſi aperto guſtu notitiam præſtent: placet hic ſententia Hebræor. qui: Et operata eſt deſiderio (vt quidem Hebraicè legimus) manuum ſuarum, pro: Manibus ſuis deſiderium, mutata conſtructione poſitum dicunt; cuiuſmodi illa ſunt: Miſerunt in ignem Sanctuarium eius, pro, Ignem in Sanctuarium, &: Iezabel poſuit oculos ſuos in ſtibio, pro, Stibium in oculis ſuis.

HAEC illi. vnde nos, quod illi non viderunt, myſterium penetramus. Quid enim, O excellentiſsime Vatum, diuina Virago quæſita lana conſecuta eſt? Num veteres matronas imitata? quarum fuit quæ diceret ad virum: Da mihi filios, alioquin morior. &: Cum ſorore mea luctata ſum, & præualui; Attendit ne ad petram, ad cauernam lacus vnde exciſſa eſt? quæ prolis deſiderio: Cum Dominus, inquit, meus ſenex eſt, erit mihi voluptas? Abſit hoc à te

,, *Virgo prudentiſſima*
,, *Quam cælo miſſus Gabriel*
,, *Supremi Regis nuntius*
,, *Plenam teſtatur ſpiritu* abſit filia Dauidis, & Abrahæ.

Non erit memoria prioribus, & etiam poſterioribus quæ erunt; Ecce ego noua facio omnia; Aſcendetque virgultum, & radix de terra ſitiēte, & tu terra ſitiens es, ros tantum ſuper vellus, & ſuper totam terram ſiccitas. & vellus quidem lana eſt, caroq. Agni mortalis, quam quæſiſſe dicitur; & Diuinitatis ros deſcendet vt pluuia in vellus. & quoniam vtriuſq. eadem eſt caro: rurſum vellus ſiccum, eſt caro Domini Noſtri Ieſu Chriſti, humoris illius expers, cuius virtus eſt in vmbilico; terra vero plena

rore,& munere cœlesti, est massa virginalis. idq. ait Salomon: Et operata est manibus suis CHEFES Desiderium, rem desideratissimam, & pretiosissimũ monile. Fuit enim desideratus cunctis gentibus, earum expectatio, desideriũ illud collium æternorũ, Dominator (ait Vates) quem vos quæritis, Angelusq. testamenti quem vos vultis; quorum mysteriorũ causas vestigare qui inutile putarit: contẽnit illud Redemtoris: Iota vnũ non esse periturũ, id est nec otiosum esse, neq. positũ sine magno Sacramento.

5 *FACTA est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum.*

SI magna fuerit caritas annonę, si qua desint in annum, non vtenda rogat, neque expectat vt summo pretio emat; non vinum, oleum, frumentum, non fruges & alimenta, & ouium, cæterarumq. pecudum fœtus, nisi pretium habeant, vendit; si his deficitur: in tempore prouidet, prorsusq. Celoci similis est, quæ omnium rerum copiam alienis de locis comportat. O faciles sensus! simplices, apertos, expeditos! certè vix se tollentes humo, quos ego sensus non admodum requiro. Vocem pastoris inquiro, leges mihi de Propheta (eximius ait August.) lege de Psalmo, recita de lege, recita de Euangelio, recita de Apostolo, auferantur chartæ humanæ, sonent chartæ Diuinæ, & luceant iam poma aurea in cancellaturis argenteis. *Facta est quasi nauis institoris.* Cùm neque adhuc extaret certa rerum διάταξις, sed terra aqua proximè inuoluta in tenebris lateret, & in illa elementorum tenebrosa congerie, horror quidam omnia occupasset, parum dico, imò & ante ipsam sæculorum progeniem initialem, ex vi atque efficacia æterni illius decreti, quo mundũ facere vellet Deus: erat in ipsius mente, Virginis species pulchritudinis eximia, quã intuens, in eamq. defixus, æterna illa Diuini decreti prouidentia, cum Dei sapientia, atque virtute coniuncta, ad futuri operis delineationem manum ac mentem dirigebat, sic.n. secum statuebat: Emittam aliquando eloquium meũ terræ, velociter curret sermo meus, Pauperes quondã saturabo panibus, & adipe frumenti satiabo, Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, Inclinabo ad eos vt vesci possint (venit enim in Virginem vt eum manducaremus) iam tum Virginum regina, maior Patriarchis, Apostolis sublimior, maximiq. huius operis & mundi veluti surgentis petra illa primaria, & arca sanctificationis, nauisque arca Noe latior, longè capacissima: Gyrum Cæli circuiuit sola (non enim minus tum extabat, quã cum postea extitit reuera) & non aliter ac mercator strenuus, & rei quęrendæ studiosissimus, plenam cœlestibus diuitijs, & æternis mercibus nauem, optatum ad littus, Cœlo vsque deduxit. Ego enim ait Christus, sum panis viuus qui de Cœlo descendi, & de matre ipsius Salomon eximius: *Facta est quasi nauis institoris.*

De longe portans panem suum. Sed quoniam qui descendunt in mare nauibus, incertam sæpe fortunam, & vim tempestatum, nulla humana ope superabilem, sæpenumero experiuntur, & nos vt ipsi latentes scopulos, & inuolutos nubilo dies, & nimbis ac tonitruis horrẽdas noctes, & turbinibus diuulsa nauigia, mortem denique vidimus sine spe sepulturæ: item Virgo excellentissima, quæ in omni vita, velut nauis aliqua in vadoso mari destituta, subijt tempestates & fluctus, non minus quam marini formidabiles, incredibiles dolores, & acerbitates, tormenta, & cruciatus filij causa suscepit, magnaque fuit velut mare contritio sua de eo, *Facta est quasi nauis institoris.*

De longe portans panem suum. In quo quis iam non miretur Græcam prophetiam? quod enim ait Dominus Noster Iesus Christus: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, Rursus: Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum apertè ipsi expresserunt L X X. non enim *Panem* sed *Vitam* posuerunt; & vsurpauit Ecclesia.

Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

estque apud Isaiam: Comedite bonum vt viuat anima vestra. Bonum dicit Dei filium. Sequitur enim: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Vsurpat Oseas: Pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum; Ad Christum filium Dauid, posuit hoc loco Chaldeus Paraphr. Idq. à Mose sumtum, ad quem Deus & pater Domini nostri Iesu Christi: Ostendam tibi omne bonum, splendorem dico gloriæ, & figuram substantiæ meæ, Pastorem, inquam, meum super quẽ framea suscitanda est, & virum illum *HAMITI* cohærentem mihi. At cui nam pastori? cui vsquã homini isthæc conuenirent? nisi ei qui assumturus hominem, nõ exhorruit Virginis vterum? & homine quidem sumto, in vnitate personæ, vt Theologi loquũtur, Deo fuit *HAMITI*, vnitus cohærens & coniunctus. Atque hoc illud est summum patris bonum, & cælestis agri, cuius pater cultor est, eximia pulchritudo.

ET quidem in Arcanis Hebręorum interpretationibus idem reperias scriptum: Si esuriero nõ dicam tibi, pulchritudo agri mecũ est. Hoc illud est, inquiunt: Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi. Et, cum frumentum & vinũ sit agri pulchritudo: at pulchritudo agri, mecum, inquit, est; quis Arcana non videt? & hanc conuiuij illius sacri omnem panis & vini pulchritudinem, quæ mecum inquit est, eundem illum esse virum *HAMITI*?

QVID enim bonum est eius; ait Zacharias, & quid pulchrum eius? (Pulchritudinem Hebræi eodem quo Bonum nomine vocant) nisi frumẽtum electorum, & vinum germinans virgines? de quo æterna hæc sedes

Dei

Dei viuentis, Romana mater Ecclesia, castissimæ religionis nidus, vmbilicus. De Syon, Virgine inquam, vt alibi probabo, species decoris eius; & apertius, ne vllus contra possit hiscere: Omnis, inquit, pulchritudo Domini exaltata est supra sydera; species eius, cuius nam quæso species? Domini inquit, ac D.i & Patris D. N. Iesu Christi, in nubibus Cæli; & Nomen eius, eiusq. omne bonum, cuius verò nomen? nomen, inquit, Domini, id est Christus, heri & hodie, in æternum permanet. Ita enim Ecclesiarum Magistra, non nuper nata, vti istę omnes Satanæ Synagogę, nunquam adultæ, neque vllius incrementi capaces, sed vltrò & spontè ad interitũ pergentes, ita inquam docet: Ecce nomen Domini venit de lõginquo; & Ioannes: Pater clarifica nomen tuum. Venit ergò vox de Cœlo; Et clarificaui, & iterum clarificabo. Quod verò Nomen illustratum iri cuperet, apertè declarauit: Pater venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.

RECTE ergò: *De longè portans panem suum. Suum*, quãuis datus sit pro mundi vita, quòd tota & integra fuerit Mater Filij sui, aluerit in vtero sanguine suo; suisq. penetralibus omne corpus hominis finxerit; neque verò pepererit & abiecerit à se, vt dimidiatum quoddam matrum genus.

ERGO *Suum*, sibi cum nullo viro cõmunem, quem ipsa totum confecit, totum fermentauit & coxit. nam eius vterum clibanum, Ignem Spiritus sancti pręsentiam accipio. Vergente enim Sole ad occasum, nox facta est, & flamma, & apparuit clibanus ardens, & fumigans, & transiuit per medium diuisionum. In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham.

QVANDO enim Deus testamentum cum Abraham, id est gentibus pepigit? nisi cum Spiritussancti ignis in capacissimũ Virginis vterum, clibanumq. descendit? tum enim apparuit lampas, quæ vniuersas mundi partes inflammauit, & accendit. Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Certè apud sæuos tortores deficientibus flammis: superari caritatis Christi flamma non potuit, & segnior, ait Leo, fuit ignis, qui foris vssit, quam qui intus accendit.

6 DE NOCTE *surrexit, deditq. prædã domesticis suis, et cibaria ancillis suis.*

QVONIAM somnus est diligentiæ inimicissimus, quid enim potest, aut ipsa mater familias agere, aut suis dormiens imperare? in domestico negotio dici vix potest, quid naua matrona, diligensq. operaria, ignauæ & cessatrici præstet: Cor suum tradidit ad vigilandum diluculo. prima cubitu surgit, postrema cubitum it, neque quod plurimum refert, familiam cunctanter, & languidè opus aggredi sinit, aut lentam per otium, & inertem procedere,

SED ex Græcis & Hebręis Codicibus intelligimus, Escas siue cibos PRAEDAM appellari; CIBARIA verò Pensum, demensum, & diurnum, quotidianam operam, aut victũ etiam ipsum, tritici deniq; mensuram, quam opportuno tempore fidelis ille seruus daturus esse dicitur. Consentiunt Hebręa quidem cum Gręcis, Gręca cum Latinis. Quod.n. initio dicit: *Spolia*, siue annuos sumtus, & quæcunq. domum inferuntur: nunc vocat TEREF Escas, & βρώματα L X X. vnde ξέφω integrum transijt ad Græcos.

HANC verò esse huius vocabuli vim, & notionem genuinam, vel illud ostendit? Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria; Pro secundo membro, Salomon scripsit VAITREFENI LECHEM CHOKI, Cibabis me pane diurni, vel demensi mei. Aptissimè vulgatus Interp. dixit; & nunc eandem vocem CHOK, *Cibaria* reddidit; Et eleganter Dauid: Narrabo CHOK, pręceptum, diurnum, pensum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Vt ancillis pensum ac dimensum suum: sic etiam est mihi diurnum constitutum. & quod nam Vatis tanti, tamq. Deo cari Regis dicemus esse demensum? Hoc mihi, ait, quasi edicto prædicare est iniunctum, hic est meus quotidianus cibus, hęc cura, solicitudo mea, & instantia quotidiana, hæc ἔργα, & opera, celebrare eximium hoc & insigne Dei beneficium: Filius meus es tu. Et qui Romanè loquuntur; Opera vocant & pensum, vt posuerunt L X X.

apud te seruiren' tibi
" *Postulas viros? dare vna illi opera, pensum postules?*
" *Inter ancillas sedere iubeas? lanam carpere?* Item
" *Nil nobis opus ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,*
" *Linum cædat, pensum faciat, ædes verrat, vapulet,*
" *Quæq. habeat quotidianum familiæ coctum cibum.*

SI inanes vmbras vellemus consectari, & ingenium ostentare: essemus hic copiosiores. sed quis credat, id vnum instituisse Salomonem, id vnum spectasse carmine Alphabetico & eximio? & quemadmodũ ille Cyrum: sic nunc bonam vxorem instituere, ac depingere nobis voluisse?

SI multa sunt nomina, ait Hieronymus, quæ ita leguntur in Græco, vt in Hebraico posita sunt, propter interpretandi difficultatem, & ad cõparationem linguæ Hebrææ, tam Gręci, quàm Latini sermonis pauperiem, & solertis matronę antelucanas vigilias, & agilem, atque industriã operam, potiusquam florentem, & vigentis sensus adolescentulam, quæ mariti complexibus adiaceat commendare volebat: cur quæso in lingua Arcana, diuina, copiosissima, eam vocem posuit, quę Noctem potius significaret, quàm quod erat pręsentis instituti, Auroram, Lucem, Mane, vel

nè, vel diluculũ? Neq. vero de nocte propriè dicit, sed *Cum adhuc eßet nox*.

ET quis vsquam vir, vxoris optimæ ac pudicissimę est tàm parũ amans, qui deserto lecto vt familiam excitet, pensa tribuat, media nocte æquo animo à se auelli patiatur?

IAM qui se Hebraicarum literarum peritos esse, & haberi velle profitentur: cur non animaduertunt, non hic positum esse verbum, quod è somno aut lecto surgere significet; sed eadem ratione *Surrexit*, esse dictũ, qua: Non surrexit maior Ioanne Baptista; Non surrexit vltrà propheta sicut Moses. non extitit, inquit, neq. vnquam est inuentus, et; Non resurgent impij in iudicio, nequaquam ij, ad dextram consistent, non ijs dicendum est: Venite benedicti, ad lęuam erunt cum hircis, Nam quod paulo ante dixerat: Et in via peccatorum non stetit, pro *HAMAD*, hoc ipsum Surgendi verbum *KAM* scilicet, posuit Chaldæus Paraphr. & Salomon *TAKOM*. Non enim *Surgere* Hebræis est Euigilare. Hoc illis est KIS, & HIR; & vt HEKIS, & HEHIR Excitare; *KAM* verò, quod Latinus Interpres *Surgere* dicere consueuit, propriè est, Existere.

HOC enim admirabatur Salomon, quod *BEHOD LAILAH*, Cùm adhuc esset nox, in medijs ipsis erroris & ignorantiæ tenebris, cùm: Tenebræ inquã, operirent terram, & caligo populos, tenebræ ipsam nõ comprehendissent. Quomodo enim Mater ipsa Lucis, & prænuntia veri Solis, mater, inquam, vitæ, cunctorumq. viuentium in tenebris sedisset? quam Virtus Altissimi semel obumbrasset: eam ne vsquam occupasset vmbra mortis? ac nõ potius idololatrię longas noctes, & horrentes tenebras ipsa discussisset? Imò neque Phosphorus, sydus micantissimum, sic resplendet & effulget,

„ *Nec tam nubifero Borea, Latonia Phœbæ*
„ *Purpureo radiat vultu; nec Syrius ardor*
„ *Sic micat, aut rutilus Pyrous, aut ore corusco*
„ *Hesperus, Eoo micat cum Lucifer ortu,*
„ *Nec tam sydereo fulget Thaumantias arcu*

quàm creaturarum domina, Cœlorumq. regina, & Aurora consurgens, verus ille phosphorus noster, & Orion: tetram illam infidelitatis noctem & caliginem dispulit, de qua scriptum est: Quia ecce, tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus.

NEQ. aliud est, *De nocte surrexiße*, siue vt Hebraicè legimus, Extitisse cum adhuc esset nox, quam tum mundo editam: cum tenebræ operirent terram, *Dediße cibaria domesticis*, hoc illud est, Super Ierusalem oriturum esse Dominum; & nos Ierusalem sumus, & domestici Virginis, quibus dedit *CHOK* Demensum, diurnum, victũ panemq. illũ quotidianum, quẽ è locis longè dissitis portasse dicitur. Certè *Panem suum*. est enim ex Virgine

gine quod sacerdotes cõficimus; neq. duo sunt, sed vnum Christi corpus, caro è Virgine sumpta, & panis ille quotidie altaribus illatus. panis ille Cœli, & panis Angelorum à Dauide decantatus.

QVID enim aliud legimus? in Veterum Hebræorum monumentis, à Rabi Akiba proditum fuisse? Panis, inquit, Angelorum siue fortium, panis est quo nutriuntur Angeli Deo ministrantes. Gerundensis verò, vt Latinè dicam: Lux, inquit, supercœlestis atq. Diuina, Panis iste est, quæ corpus animamq. sumpsit, vt Omnipotenti Deo visum est. & Zohar ante D.N.Iesum Christum. Ros, inquit, erat sublimis illius lucis, ros quidem sanctissimus à Danielis antiquo illo dierum abscondito & occulto; quod illud est Pauli: Lucem habitat inacessibilem; & LXX. cum Interp. Vulgato: Ros lucis, ros tuus.

SED, & in Genesi magna, siue, vt interpretatur Epiph. exactè explicata, ita scriptum reperias: Cum Melchisedech Abrahæ reuertenti protulit panem & vinum, non ideo fecit, vt illum quasi de via fessum & esurientem instructo conuiuio recrearet (Audiant quæso fratres nostri, qui à nobis discesserunt) nõ.n. Abraham qui Regum spolijs redibat onustus, & escis plena castra repererat, cibum illum admodum desiderabat, sed in pane & in vino, res arcanas & occultas, figuris illis adumbratas, Diuina planè mysteria patefaciebat, eadem nimirum quæ multis postea sæculis dicta sunt à Salomone: Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.

HIC ille est, D. Pauli grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum. Christum enim quis dubitat hunc fuisse Melchisedech? qui illud vnũ Zachariæ animaduerterit: Ecce rex tuus venit tibi iustus: Regem enim iustum, si Hebraicè velis exprimere: aliter dicere non potes, quam Melchi sedech. & quidem Rabi Samuel D. Paulo consentit. Est, inquit, Melchisedech, Messiæ typus & figura, fuit enim is Rex, & Rex iustus, simulq. æternus etiam sacerdos quidam fuit, atque adeò Abrahæ, verum sacrificandi ritum, rationemq. tradidit, in pane & vino aliquando conficiendũ, iuxta id quod scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech; idque significare voluit producto pane & vino, quod postea erat à Dauide decantandum: Erit placentula frumenti in terra in capite montium: Vbi Ionatas Chaldæus: Erit sacrificium gratum, acceptabile, propitium in terra in capite sacerdotum.

AC significanter Salomon, vt eò vnde fluxit redeat oratio, in altissimas cogitationes abreptus addit: *Dedit cibaria ancillis suis*, non enim Virginibus, sed *Ancillis* dixit. Quanquam enim posset Virginum choros innumerabiles producere, quæ cum vigore & alacritate animi, præcedentem heram, omniumq. nostrum dominam & Reginam sequebantur, &

quibus demensum ac diurnum, illum dico vitæ panem, siue quotidianum pensum, id est suæ ipsius vitæ exemplum quantumuis incomparabilis imitandum proponebat (vt enim scriptum legimus de sponso

„ *Quocunq. pergis, virgines*
„ *Sequuntur, atq. laudibus*
„ *Post te canentes cursitant*
„ *Hymnosq. dulces personant*, sic etiam Dauid de Matre

nostri Redemtoris: Adducentur Regi virgines post eam; proximæ eius afferentur tibi) tamen vt complecteretur virgines, viduas, nuptas, innuptas, orfanas, pupillas, quos illa omnes ordines & status est experta, vt venerit mihi in mentem aliquando cogitare, num hæc Arcano sensu, vestris illa sit *Stragula*, quam paulo post confecisse sibi dicitur, ideò, inquam, non tam Virgines quam *Ancillas*, suam, omniumq. nostrum dominam, & Reginam consequentes, hoc loco nominauit.

AGRVM enim Ecclesiæ, vt ait Ambrosius, fertilem vidit; nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis grauitate pollentem, nunc etiam coniugij fructibus redundantem. Nam & si diuersi: vnius tamen agri fructus sunt. nec tanta hortorum lilia, quantæ aristæ segetum, messium spicæ, compluraq. spatia camporum recipiendis aptantur seminibus, quam redditis nouales fructibus feriantur.

7 CONSIDERAVIT *agrum & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam.*

AGRVM Dominus noster Iesus Christus, disciplinam cœlestis studij interpretatur. Non enim humillibus hisce sensis atque sententijs delectamur: Eo vsque labore & sedulitate sua rem mariti prouehit, vt si fundus aliquis venalis fuerit, etiam de questu quem recta domus suæ administratione facit, eum emere cogitet; quodq. est multò sumtuosius, atque difficilius, vineam etiam conserendam curet.

HVNC igitur quem dico agrum, venditis omnibus comparat, qui quæcunq. ad carnem corpusq. referuntur, contemnit atque proculcat. *Considerauit* ergò Virgo præstantissima, cœlestis agri pulcritudinem; & ita Armenorum lingua, & charactere Biblia vetustiss. Considerauit agrũ pulcrum; diu multumq. cogitauit; *ZAMEMAH* attẽtissimè inspexit, atq. ita hoc verbum vsurpat Sacra lingua, vt quasi ad dolum & fraudem intentandam, eiusmodi curiosam considerationem & inspectionem significet. quemadmodum Euclio apud Poetam lepidissimum, cùm ad dotem filiæ grandioris & illocabilis, pollicitationes locupletis hominis audiret: Hebræa voce vtitur.

„ *EVC. Nunc petit, cum pollicetur. inhiat aurum, vt deuoret*

„ *Altera*

„ *Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.*
„ *Nemini credo, qui largè blandu' est diues pauperi*
„ *Vbi manum inijcit benignè: ibi onerat aliquam ZAMIAM*
„ *Ego istos noui polypos, qui vbi quid tetigerint, tenent.*

PRIMVM ergò Virgo incomparabilis æternam hæreditatem curiosiùs inspexit, diu in animo habuit, nec satis habuit Gyrum Cœli semel circuire; quoties visit toties magis placuit; agrũ itaq. hunc cupide emit; emptum non passa est sordescere, aut indiligenter curauit, ac non arauit, neque purgauit, habuitue derelictui. Paruula, adolescentula, marita, vidua, viuente filio, post illius ascensum, cessauit nunquam operam quã-tam posset cumque in eo consumere.

QVID porrò *considerabat* in agro, Dauidis & Abrahę filia prę̃statiss.? Num essent illius loca, nebularum noctibus absoluta; terra situ commoda; num tempestates, frigus & æstatis incendia; aqua à lacunis & paludibus ducta; quod ostendit & habitatorum color sanus, inoffensum lumen oculorum, & faucium liquidę voces.

ITA Q. de nebulis, vel externis testibus est animaduertere;

„ *Venit Olympum vbi fertur sedes esse Deorum*
„ *Firma. hæc ventis haud quatitur, minus imbribus vllis*
„ *Alluitur; niue nec tegitur, nec nubibus Aether*
„ *Nigrescit; passim sed fusa est purior aura.*
„ *Hic Diui degunt fælices tempus ad omne.*
„ Ολυμπον δ᾽ ὅθι θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
„ Εμμεναι οὔτ᾽ ἀνέμοις τινάσσεται οὔτε ποτ᾽ ὄμβρῳ
„ Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπλέεται, ἀλλὰ μάλ᾽ αἴθρη
„ Πέπταται ἀνέφελος λευκὴ δ᾽ ἐπιδέδρομεν αἴγλη
„ Τῷ ἔκτερπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

quòd Firmam sedem dicit: æternam quandam stabilitatem ostendit, quò illa pertinent Chaldęi Paraphrastis: Pulchra est domus sanctuarij, sed lõgè pulchrior domus exędificanda tempore Regis Christi, cuius trabes ex cedris Paradisi voluptatis. Illud enim explicat: Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cupressina.

NAM vt mittamus fabulas de Oleastro Olympię, cuius surculis Hercules coronatus esse dicitur; & de palma quam in Delo seuerat Apollo; olea, quam Athenis extulerat Minerua, certatura cum Neptuno, de condendis Athenis; atque ad extremum de platano Delfica Agamemnonis: aliquas certè plantas & arbores esse viuaciores omni genere animalium, prodit Aristoteles.

NAM cùm terminum vitę longioris vix vllum norit, prę̃ter vitę Elephantorum, qui centesimo vicesimo anno maximè cõsignatur: at Olea-

ſtris, Cedris, Cupreſsis, & Ebenis multo longior vita ſolet tribui. Nam cùm hæc materies fuerit templi Epheſini, illud memorant ad quadringẽtos minimùm annos durauiſſe; Oleis ducẽtos tribuit Theophr. vt Oleaſtris quia ſylueſtres ſunt, longinquior tribuenda videatur.

PORRO habitatorum color, & inoffenſum lumen oculorũ & faucium liquidæ voces, huius agri bonitatem oſtendũt. nam illius incolæ, nõ egent Sole, neque Luna, claritas Dei illuminat eum, & Lucerna eius eſt agnus. Quid Laurentius, miles inuictiſsimus? Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt, & Eccleſia.

„ *Quam fœlix eſt, quem ſatias*
„ *Conſors paternæ dexteræ*
„ *Tu veræ lumen patriæ*
„ *Quod omnem ſenſum ſuperat.*

NVM verò incolarum claræ ac liquida voces? clariſsimæ: Abſtergẽs Deus omnem lachrymarum ab oculis eorum, non erit luctus neque clamor neque dolor, ſed muſica acroamata, Exaltationes Dei, inquit, in gutture eorum. quæ nam porrò exaltationes? Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & Diuinitatem, Item: Sedenti in Throno, & agno benedictio, & honor, & gloria.

QVAE cum conſideraret Virgo prudentiſsima, neque arenas videret ſquallentes, aut ieiunam glaream, ſed feracem, pinguem, glutinoſam, & fœcundam, vineis certè idoneam & vtilem, quæ nitida & procera proferat virgulta, ſummo ſtudio *agrum* eiuſcemodi dicitur *emiſſe*.

LEGERAT porrò gemmiferos amnes, & aurum terræ illius optimum, Et platea ciuitatis aurum mũdum. Iam progenitoris illud animo verſabat, Non eſt, inquit, aqua à lacunis, aut paludibus ducta, non vllus limus inſidet, ſed: Apud te eſt fons vitæ; &: Torrente voluptatis potabis eos, Itaque videns terram fœcundiſsimam, & maiora menſura reddentẽ, quàm acciperet, & ibi eſſe aurũ, & aurum terrę optimũ: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias, & theſaurum ibi abſconditum: ſubinde illud Dauid Patris repetebat: Heu mihi quia incolatus meus pro longatus eſt, multum incola fuit anima mea.

AN enim ſine Sacramẽto dictam eſſe putabimus terram *CHAVILAH*? Doloris Partus, & vt ita dicã, Obſtetricationis? Non legimus disertè? Hi ſunt qui venerunt de magna tribulatione; &: Regnum cœlorũ vim patitur; Refingant ſe oportet, quaſi in fornace nouos conflent, in Chriſtoq. parturiant, vt violenti rapiant illud.

CVM ergo terrę agrum videret eſſe optimum, & ditare poſſe ſtrenuos mercatores, & ſolo bono, & ſua virtute valere, & aerem eſſe ſalutarem & clementem, & Torrente voluptatis perfundi & irrigari, & ligna pulcherrima

rima, quæ summus Agricola plantauit, & in medio dilectum, Sicut malum inter ligna syluestria: multis nominibus plantandæ vineæ planè iudicabat idoneum.

NEQ. verò pugnas illas Micaelis, & gloriosas sine sanguine victorias, & virgulta illa intorta, & macra sterilitate languentia, proiecta in stagnũ ignis ignorabat. Nam Prophetas legerat, eorumq. arcanos & abstrusos sensus percalluerat. Quid enim occultis ac secretioribus verbis, atq. sententijs de tenebrarum principe prodidit Ezechiel? Occultus ramis, & frõdibus nemorosus, excelsus altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius. Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltauit illum: eratq. pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorũ suorum, erat enim radix illius iuxta aquas plurimas. quas nam verò alias? quàm illum vitæ fontem (Apud te est fons vitæ) &: Fluminis impetum qui lætificat ciuitatem Dei? iuxta aquas, dicit, plurimas. Ita Dauid: Torrente voluptatis potabis eos.

AVDI cætera. Oportet enim considerari locum integrum: Cedri nõ fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, En illud: Ponam sedem meam in Aquilone, Exaltabo solium meum, Omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum ei, & pulchritudini eius. quis arcana non videt?

IAM illud D. Petri: Rudentibus Inferni detractum alligatum reseruari in extremum diem, ex illo sumtum est: Propterea quod sublimatus es in altitudine, & dedit summitatem suam virentem, atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua: tradidi eum in manus fortissimi gentium. Apertius Ioannes: Draco pugnabat, & Angeli eius, & nõ prę ualuerunt, neque locus est inuentus eorum amplius in Cœlo. nam quod ait; Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur Diabolus & Satanas: illorum est interpretatio. Faciens faciet ei, iuxta impietatem eius eijciet eum.

PORRO de satellitio: Omnes traditi sunt in mortem, ad terrã vltimam, quam nam verò terram? quam mundi plagam, regionem dicis? in terris'ne vltimam Thylen? Non, inquit, nunc Thylen dico, sed: Ad eos qui descendunt in lacum: Lacum in quo non erat aqua, sentinam squallentem, tetram, caliginosam, horrendam & obscuram, vbi

„ *Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu!*
„ *Euomit; inuoluitq. domum caligine cæca*
„ *Prospectum eripiens oculis, glomeratq. sub antro*
„ *Fumiferam noctem commistis igne tenebris.*

Iob: De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis? Feruere facit quasi ollam profundum, & ponet quasi cũ vnguenta bulliunt. Ezechiel: Et ipsi cũ eo descendunt ad infernũ, ad interfectos gladio.

Ioan.

Ioan. & Angeli eius cum eo missi sunt in stagnum ignis & sulphuris. Iob: In prudentia sua percussit superbum. Item: Spiritu oris eius, Spiritali doctrina, Insufflauit enim; Accipite Spiritum sanctum, Interficiet impium, ait enim: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. & Virgo incomparabilis, a Gabriele amplius edocta, Superbos etiam vocat. Dispersit superbos mente cordis sui, ita enim legerat: Inebriatum fuisse gladium in Cœlo.

QVOD enim scribit Ioan. Factum esse prelium magnum, & Micael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & proiectus est Draco, totidē pene verbis apud Ezechielem: Descendes cum lignis voluptatis ad terram vltimam. in medio in circuncisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio. Apertius verò apud magnum Isaiam: Visitabit dominus in gladio suo forti & magno, Michaelem dicit, quod si interpreteris, est: Quis ita fortis? & Ezechiel: Fortissimo gentium Draconem traditum dicit. Visitabit ergò super Leuiatan serpentem vectem, & super Leuiatan serpentem tortuosum. Seducit enim vniuersum orbem, & Dominus noster Iesus Christus: Homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, Et occidet, ait, Cetum, qui est in mari

latæ cuius vaga verbera caudæ
„ *Gurgite de medio summas referuntur in vndas.* Item alibi
„ *Cuius sub extremam squalet cutis arida caudam.*

Ita enim Iob, *IACHFOS* Accelerat vel stringit caudā suam quasi Cedrum; Rursus: Corpus eius quasi scuta fusilia cōpactum squamis se prementibus. Tum, inquit, vniuersum orbem perambulat, hoc ipsum mare magnum

„ *Turbat, & obscuras vlua cœnoq. lacunas*
„ *Obsidet, immundo perfundit æquora cœno.*
magnaq. surgunt
„ *Aequora, viciniq. timent decrescere montes.*
feruet fumosis flatibus æquor.

hunc ergo: Gladio suo forti & magno visitatum, & occisum iri dicit Cetum qui est in mari.

IN mari verò, & inferum & superum dicit; nam cùm à Michaele deiectus est ‘ Ferbuerat superum fumosis flatibus æquor. Nam vtriusq. mūdi ea sunt concordiæ vincula, vt tam suas, quàm rerum ijs comprehensarum naturas & appellationes, mutua sibi liberalitate communicent.

NEQ. hic Veterum Hebræorum replicabo monumenta, in quibus legimus, inferiora omnia esse superiorum adumbratas quasdam imagines, notas, siue symbola, & quod ait Paul. Verorum exemplaria. & quidem Rabi Moses Aegyptius, cuius auctoritate summus ille scholæ Theologicæ

logicæ apex, & pugilum aliptes D. Thom. Aquinas libenter vtitur, auctor est, quæ de terra promissionis, ciuitate Ierusalem, monte Dei, & loco sancto eius, atrijs, sanctuario, templo, ac porta Domini, cæterisq. eiusdem generis omnibus, quæ vniuerso Scripturæ corpore diffusa, sparsaq. leguntur: post historiæ veritatem de cœlestibus esse accipienda.

ET Diuinus ille scriptor, cum substantiam mundi, & virtutes elemētorum, & anni circulos, stellarum positiones, naturas animalium, iras bestiarum, spirituum violentias, & hominum cogitationes, herbarum, & virgultorum vires, & differentias scire se & intelligere dixisset, quod addit: Et occultorum se scientiam accepisse: ostendit proculdubiò, singula istorum, habere aliquid similitudinis & rationis ad inuisibilia, & se istorum omnium causas in cœlestibus quærere & indagare solitum.

EST ergo vt inferum, sic Mare superum, sunt spatiosa littora, sunt rerum omnium imagines, exemplaria, prototypa; est ibi occultus ille serpens vectis ac tortuosus, qui, cùm: Spiritus eius ornaret cœlos: obstetricante manu Dei eductus est; sunt quod canit Ecclesia, montes aromatum & lilia camporum

„ *Qui pascis inter lilia*
„ *Septus choreis virginum*
„ *Sponsas decorans gloria*
„ *Sponsisq. reddens præmia*,

est Libanus, sunt Cedri, est Dei Paradisus, est Sion & Ierusalem, cuius participatio eius in idipsum.

NAM Salomonis pater & doctor: Tunc exultabunt inquit omnia ligna syluæ, quod de Angelicis potestatibus accipit Ecclesia.

„ *Gaudet chorus cælestium*
„ *Et Angeli canunt Deo*

Rursus: Saturabuntur omnia ligna campi, & Cedri Libani quas plantauit. Quando, inquam, exultabunt, & gaudio saturabuntur? Recita quæ precedūt, ne de Palestinæ Libano loqui eum putes: Adorate dominum in atrio sancto eius, Atrium dicit Virginem excellentissimam, à robore & fortitudine, ob illud: Ipse fundauit eā Altissimus &: Confortauit seras portarum suarum, vt alibi dixi.

QVANDO verò eum adorabimus? cùm Nobiscum, inquit, versabitur, humanam carnem indutus: Dn̄s, inquit, virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Apertius: Deus in domibus eius cognoscetur, cū suscipiet eam. Cùm carnem suscipiet, & Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suę: tum in domibus eius cognoscetur: Nam de Vrbis & Herodis turbatione, quàm ibidem multus! quamq. corpus copiosus! vt exundat orationis vbertate! Commoueatur à facie eius vniuersa terra. Dicite

cite gentibus, Dicite Magis, quia Dn̄s regnauit, decorem indutus est, indutus est Dn̄s fortitudinem, & prçcinxit se. Carnem è Virgine Isaias ita vocat: Iste formosus in stola sua. hoc pro illo: Decorem indutus est. Gradiens in multitudine fortitudinis suæ, & hoc est, Indutus est Dominus fortitudinem. Iam Præcinxit se, quid est aliud? quam: Fœmina circundabit virum? siue: Syndonem fecit & vendidit, cingulum tradidit Cananæo, vti suo loco explicabo.

PORRO Aquæ populi sunt, & Herodes turbatus est, omnisq́. Hierosolyma cum illo: Eleuauerunt, ait, flumina Domine, eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarū, mirabiles elationes maris, vt de eo furiosum, & Amentem vocauerit Prudentius

„ *Exclamat amens nuntio*
„ *Successor instar pellimur*

non enim alias Voces dicit, quam illas:

„ *Satelles i, ferrum cape*
„ *Perfunde cunas sanguine*

Sonuerūt & turbatæ sunt aquæ eorum, Oīs, inquam Hierosolymæ cū illo.

ET quoniam Montes Scriptura sacra Reges & principes solet appellare, omnisq́. Ierosolyma turbata dicitur: Montes, inquit, sicut cera fluxerunt à facie eius, & commota est terra. Illud autem: Inclinata sunt regna, illis est expressum: Et intrantes domū procidentes adorauerut eum.

IAM tum, inquit, lætentur Cæli & exultet terra, & commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt. At cum cœlos, terras, maria posuisset, nihilne de Angelicis potestatibus erat additurus? quibus, si tantum est gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quid tùm nato Saluatore quantum & quam diffusum gaudium putandi sunt concepisse? videbant enim tot hominum myriadas, in trāsfugæ & eius sectatorum possessionem ingressuras; gaudebātq́. non tam corporum, quam animarum vinculis solutis, mortisq́. & peccati dura seruitute: parata iustis præmia, pristinam Dei familiaritatem & aspectum hominibus restitui.

TVNC, inquit, exultabunt omnia ligna syluæ à facie Domini, quia venit. Nisi arcanam rem occultare voluisset illis planè verbis: Gaudebūt campi, & omnia quæ in eis sunt, syluarum ligna comprehenderat. Sed aduentu Redemtoris miseris animabus vitam restitutam, & captiuarum choros innumerabiles præeuntem, ascendentemq́. in altum subsecutos: Ascendit enim pandens iter ante eos, & Angelicas potestates, quasi choros ducere, ita enim Arcano sensu legimus apud Esaiam: Quia in lætitia egrediemini & in pace deducemini, montes & colles cantaturos dicit laudem, & omnia ligna regionis manu cōplosuia; Saturanda deniq́. omnia

ligna

ligna campi, & Cedros Libani quas plantauit.

QVANDO verò saturabuntur? Certè cum viderint naturæ auctorē ac dominum opprobrijs saturatum, &: Pro eo quod laborauit anima sua vidisse semen longæuum; cùm magnam illam substantiam olim Abrahę promissam contemplati fuerint: tum cedri Libani saturabuntur.

HIC est enim arcanus horum verborum sensus: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & post hæc egredientur in maxima substantia. Hoc enim dicit; Scito parentes & proauos tuos, futuramq. ex ijs sobolem & posteritatem, iugum mortis & peccati subituras. at ab inferis aliquādo tandem me duce reuocandas, idq. cum magna substantia, cunctis, inquam, ab Adam primo ad id vsq. tempus eius descensum expectantibus; & si qui etiam ex gentibus existent digni tanto beneficio. Is enim solutis doloribus Inferni, opimā prædam duxit, & Cum fortibus, Infernis scilicet potestatibus spolia diuisit, non enim incredulos, aut infideles, sed qui se expectabant, liberauit. Tu autem ibis, ait, ad patres tuos. Inferos nimirū vbi illi Idololatræ: Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab vtero Taræ patris Abraham, & Nachor, seruieruntq. Dijs alienis. In pace tamen, doloribus illis, & cruciatibus solutus, Generatione vero quarta, quæ filij mei est in carne natiuitas, reuertentur huc; superam Hierusalem dicit, pristinam eorum sedem, Vel quod ex Hebræo dici potest Quiescent, erunt in tranquillo statu, pœnisque soluentur, non dum enim impleta est iniquitas Amorrhęi, Ita vocat Originis peccatum, ab insigni amaritudine. Nondum, inquit, deletum est, nec dum elui potest, nec illius adhuc impleta est iniquitas; vt illud: Implete mensuram patrum vestrorū, & Ioannes: Vindemia botros vineæ terræ quoniam maturæ sunt vuæ eius. atq. apertè id si velimus replicare Diuinas scripturas: omnibus ferè Prophetarum paginis occurrat. satis nunc erit locus Ieremiæ.

MAGNA dies illa, Dei scilicet partu laborantis, nec est similis ei, tempusque tribulationis est Iacob, sed ex ipsa saluabitur. Quænam verò ei salus alia possit contingere nisi victa morte? Ita enim sequitur: Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam. Eademque arcano sensu ab Hebræis vetustiss. a quibus Rabi Salomon apud Ioelem hausit: Eum qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis. Aquilonis principem, vnde panditur omne malum ita vocat; & expellam eum in terram inuiam & inaquosam; & ita Dominus noster Iesus Christus: Perambulat loca arida & inaquosa, & peccatum ipsum in corde latens vocari Aquilonem ex Hebræorum monumentis docui in Purgatorio.

QVANQVAM enim sensus videat facilis & expeditus de Assyriorū exercitu in Methaphora locustæ: sensum arcanum subesse & mysticū,

E euin-

euincunt, quæ de Christo Doctore, euangelij fructu & effusione Sancti spiritus statim subsequuntur: Nolite inquit, timere terra, exulta & lætare filia Syon, exultate quia dedit vobis doctorem, cuius doctrina quam vocat Imbrem matutinum, is qui stat ab Aquilone pulsus est in terram inuiam, Spiritu enim oris sui, ut antea explicabam, interficiet impium: Tu ergò, subdit, non timeas, neque paueas, quia ecce ego saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captiuitatis eorum, & reuertetur, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet. Moses; Reuertentur cum magna substantia. Ieremias: Vocem terroris audiuimus formido & non pax, Ictero morbo, ait Angelicas potestates moriente Christo expalluisse, Moses verò: Ergo cùm occubuisset Sol horror tremor, & pauor tenebrarum maximarum cecidit super Abraham. En eclypsim & tenebras super vniuersam terram. Ergò Occidēte Sole quo fidelium corda calescunt: Apparuit ei Clibanus ardens & fumigans, & lāpas ignis, En fulgorem radiantem, vt sydus micantissimum, inferna penetrantem, tum enim pepigit cum eo fœdus & terram promissionis Ierusalem supernam, illius soboli ac futuræ posteritati confirmauit. tum ergo Angelicas potestates dicit gaudio choros quasi duxisse: Omnia, inquit, ligna regionis plaudent manu: Saturabuntur ligna campi & cedri Libani quas plantauit. atque ita Nyssenus, & Basil. Porrò oppositas, inquit, potentias Dominus aduentu suo confregit, Cedros Libani figuratè dictas: Oportet enim eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedes suos. Si oppositas, cur non etiam amicas & propitias, cum nullo discrimine condita sint inuisibilia.

ET quidem Chaldęus Paraph. Illud explicans: sicut malus inter ligna syluestria, sic dilectus meus inter filios, ab hac interpretatione nō discessit. Quemadmodū ait, malus præstat syluestribus, & infrugiferis lignis: sic Dominus Deus inter Angelos. Tum cęlestes plantas sæpius agnoscit Plato: φυτὸν inquit, οὐκ ἔγγειον, ἀλλ' οὐράνιον.

AT Q. eandem Dauid, vt est multiplex & inuolutus, cum repetit sententiam, rem magis obscurat, & de Inferis superiora comprehendit: Ibi, inquit, passeres nidificabunt. In Libano dicit; & cum Cœlorum regnū simile dicatur grano synapis, cuius luxuriantes ramos Cœli volatilia occuparint: Volatilia hæc Angelos arcano sensu videtur significare.

Et ne de nostro capite, commisci quis putet, Chaldęus Paraph. illud Salomonis: Ne detrahas Regi, quoniam aues Cœli portant verbum, ita interpretatur: Quoniam Angeli vt Aquilæ alatæ sursum volant, & Regi denunciant, quæ in tenebris fiunt. & Dominus noster Iesus Christus interpres longè pręstantissimus, Aues quæ iactum semen in viam abstulerunt, ita exponit: Venit diabolus & tollit verbū de corde eorum. Sed & Ambr.

Puto,

Puto, ait, & illud recte dictum: Volatilia Cœli (ita enim legit) ſemper vident faciem patris mei qui in Cœlis eſt, &: Volantia circa firmamentũ Cœli, eo quòd poteſtates quæ ſunt in illo inuiſibili loco ſpectent hæc omnia, & ſubiecta ſuis habeant conſpectibus. Rurſus: Iezabel comederunt canes,& volucres Cœli,vt oſtenderetur, quod ſpiritalis nequitiæ fiat præda diuitis ſepultura.

DE Canibus aſſentitur Euſeb. qui ex Porphyrij ſententia, Serapidis & Proſerpinæ ſymbolum dæmoniorum principum, tricipitem canem eſſe dicit. cumq. illud recitaſſet:

„ *Quippe meis atris terrarum eſt cura Moloſsis,*

Canes, inquit, atros, pernicioſos Dæmones appellat. Idemque reperias apud Poetam ſapientiſsimum,

in ipſis faucibus Orci,
„ *Sub pedibus mugire ſolum, & iuga cæpta moueri*
„ *Syluarum, viſæq. canes vlulare per vmbram.* Rurſus
„ *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci*
„ *Perſonat.* Iterum
„ *Qui æternum latrans exangues territat vmbras.*

CVM ergò, vt ad rẽ redeamus, Virgo Diuiniſsima huius agri aerem ſalutarem & clementem, aquam ſalubrem, terram fæcundam, ſitu commodam, vineis vtilem, quas non flatus aliquis regionis inimicus poſſet exurere, ſed Aquilo & Auſter mulcere tepore ſuo,iterum ac ſæpius fuiſſet contemplata: cupide emit;atque id dicit: *Conſiderauit agrum, & emit eum.*

ET de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Vinea Domini Dei exercituum domus Iſrael eſt, Vniuerſi qui Chriſto militamus, Iſraelis nomine cenſemur. Ergo actionibus ſanctiſsimis & vitæ exemplo incomparabili, hic enim eſt fructus manuum ſuarum, *Plantauit vineam,* terram hãc noſtram, & maſſam generis humani, ſalſam, amaram, vliginoſam, arentem, & ieiunam, ſpinas tantum & labuſcas proferentem: reddidit pinguem, mollem, feracem, & fæcundam; eiuſque nouellas plantationes, & ſtantes veluti arbuſculas, breui crure fundatas molliter perflauit, fæcundauit, facilè vt a Deo ſuos auctus & incrementa ſuſciperent. Non enim qui plantat, neque qui rigat,ſed qui incrementum dat.

EST hoc in Arcanis Salomonis haud obſcurum:Vinea fuit pro,Erit, Salomoni in ea quæ habet populos, non Iudææ modò finibus circumſcripta, ſed in Domina multitudinis, in hac æterna ſede Dei viuentis, gentium Domina, terrarum Dea, Roma inquam, idque valet, *BAHAL HAMOH,* quæ habet populos in ſua poteſtate, ob imperij magnitudinem. Tradidit eam cuſtodibus, Apoſtolis, fodiendam, arandam, ſarriẽdam. Quorſum enim illa ſpectant? Plus omnibus laboraui, filioli mei,

quos iterum in Christo parturio. Quis infirmatur & ego non infirmor? Tamquam infirmis lac potum vobis dedi non escam. Facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo.

NAM qui esset Hebræarum vocum & rerum callentissimus, his omnibus sententijs illud expressit: Soror nostra paruula est,& vbera non habet. quid faciemus sorori nostræ, in die qua alloquenda est? iuxta illud: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo, quæ nullam de eo notitiam habet, quid illi faciemus?

QVORVM enim hæ voces sunt, si custodum non sunt? Vir quisq. afferet mille argenteos, multum fructum dicit: Ego posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Ego verò, Petrus, ait (nam quia de fructu dixerat sponsę, sibi ipsi respondens sponsæ nomine inducitur, Petrus ergò ait) neq. verò quintã fructuum partem, quæ solet custodibus tribui, ducentos scilicet, neq. millesimam, quæ ad te pertinet, multũ inquam fructum, quem ad te custodum affert quisque: sed Vinea mea coram me est, non tradam eam custodibus. ego ipse custodiam vineam tecum mihi cõmunem. Illustrius ex Archetypo: Vinea mea quæ mihi ad facies meas. Breuiter & obscurè: sic enim accipe. Vinea, quæ est mihi ad facies meas, supplendũ, Sit. Est.n. in *CARMI SELI LEFANAI*, Vinea mea, quæ mihi ad facies meas, repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ quod prę cesserat LI Mihi, sic; Vinea mea quæ mihi coram faciebus meis, mihi sit, Ego curabo vineam meam, non erit mihi communis. Erunt quidẽ alij, à me tamen missi & constituti custodes & coadiutores, ipsam verò vineã tota quanta est, solus ego pascam. Ter enim est dictum illi a Dño N. Iesu Christo: Pasce oues meas, Idcirco altissimo hic spiritu Vates eximius, ter etiam posuit, Mea, Quæ mihi, Ad facies meas; ter, inquit, mihi arandam, sarriendam, pastinandam, sanguine denique meo irrigandam, summus ille ouium princeps, & Pastor lapis Israel, vni commisit.

8. *ACCINXIT robore lumbos suos confortauit brachia sua.*

QVAE post filij ascensum haberet semper in ore: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; &: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, quomodo quasi in itinere conficiendo tardiùs vellet peruenire vllis vteretur cessationibus, & more Viatorum vllas arborum vmbras, fonticulorumq. amænitatem, vel auræ refrigerationem captaret?

MALO, inquit ille, vnius agilem & industriam, quam decem negligentem & tardam operam. Vnitorem ergò fingit in sarrienda, & pastinãda vinea occupatum, qui non solent esse discincti. Non parcit inquit labori, alacriter & strenuè operi se accingit. In quo summam Virginis cõtentionem, & ardorem animi significat. Vt enim, qui in extremo luctu & mœrore

vinitore.

mœrore verſatur; Felle & abſynthio dicitior indutus; qui diris & exacrationibus eſt dignus: Indui maledictione, ſicut veſtimento, quo operitur & ſicut Zona qua ſemper præcingitur: Qui æquiſsimus ſit, nulliuſque in iudicando gratia ducatur: Fide pro cingulo lumborum, Iuſtitia verò pro cinctorio renum vti celebratur: ſic quę naua & induſtria operaria ſit, robore etiam accincta eſſe dicitur.

9. *GVSTAVIT quam bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.*

VT mercator, inquit, cui negotiatio bene ceſſerit fructum percipit ſummę voluptatis, & quod induſtria & parſimonia rem familiarem auxerit incredibiliter lætatur: Sic cum Virgo incomparabilis animum in puro & illibato corpore ſanctum Deo templum cuſtodiſſet, puras ſemper ad Deum manus ſuſtuliſſet, Dilectus porrò, manum ſuam miſiſſet per foramen: *Guſtauit*, inquit. *quā bona eſt negotiatio eius*, ſenſit plane ſublimis illc animus ſpiritales delitias, quæ humana mēte non poſsint cōprehendi.

SED cum Deum ex parte tantùm dum hic ſumus aſſequi poſsimus, ſicut ſcriptum eſt ad Moſem: Cùm tranſibit gloria mea ponam te in foramine petræ, ſic cum neque ſponſa aditis parentibus fuerit ingreſſa, ſed: Dilectus tantùm manum ſuam dicatur miſiſſe per foramen: *Guſtauit*, inquit, *quam bona eſt negotiatio eius*, guſtum tantùm, non plenas diuitias percepiſſe dicit.

AC cum obortis ſæpè lachrymis præ volptate atq. dulcedine, amoris æſtus & ardores incredibiles conciperet, atque ita accenſa & inflammata in mortali corpore Angelorum vitā planè ſuperaret: Deo plena, & à ſenſibus prorſus derelicta peregrinabatur animo, ſuiq. immemor ipſius, & in ſeſe recedēs ſummas illas delitias & ſuauitates hauriebat. Ita enim apud progenitores ſuos legerat: Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dn̄s.

CERTE Moſes immenſo eiuſcemodi deſiderio commotus, & guſtu illo ardenter excitatus, ita afficiebatur, vt ferre non poſſet, quin ab ijs quæ comprehendit, ad occultiora compelleretur, quo circa ſupernæ pulpulchritudinis amator, quod iam viderat, tāquam imaginem eius quod non viderat credens: ipſo frui primitiuo peroptabat. Et quamquā Deus facturum ſe quod petebatur eſt pollicitus: finem tamen eiuſmodi deſiderij futurum non promiſit. Non poteris, inquit, videre faciem meam, ecce locus eſt, apud me, & ſtabis ſupra petram; cumq. tranſibit gloria mea ponam te in foramine petræ, tollamque donec tranſeam, manum meā, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris, Quid? Diuina facies, quæ & ipſa vita eſt, & vitam affert, videntibus ſe, & appropinquantibus cauſa mortis eſſe poſsit? quiſnam ille locus apud Deū? quid

quid lapis? quæ in lapide capacitas, siue foramen? quæ manus illa Dei? quæ os lapidis foraminis retinet? transitus verò Dei quis? quid illud posterius, quod Moyses videre permittitur? quis ista poßit persequi? aut verò comprehendere?

SIC tuum, inquit, desiderium nunc implebitur, vt tamen insatiabile permaneat; discit enim ex istis, Deum natura interminabilem, neq. fine comprehendi; Itaque, qui diuinam pulchritudinem videre desiderat, & ad id tendit, consistat in cursu. Est enim id, verè Deum videre, vt nunquam id desiderium poßit terminari. Quamobrem necesse est, vt cũ videamus, quo possumus modo, maiore videndi desiderio exardescamus. sicque nullus vnquam terminus abscindet nobis hunc cursum. cùm neq. ipsius boni terminus aliquis sit, nec satietas huius desiderij vlla esse posit.

QVONIAM ergò (ait Deus) tibi ad interiora pergendi semper est ingens desiderium, nec vllo huius cursus labore fatigaris, nec istius terminum perfruendi boni constituis, sed semper ad maiora in hias: scias tantum esse apud me locum, vt nunquam illius metas & terminos, cursu, aut volatu etiam pertingas; quin & cursus iste atque volatus, status quidem est illa ratione. Ponam enim vel sistam te in lapide, siue verbum verbo: Stabis supra lapidem.

ATQVE hoc prorsus admirabile existit quomodo vnum atque idẽ sit, status & motus; nam, si qui ascendit, non stat, si stat: non ascendit, at hic ascendit quia stat. Nam qui varijs hoc seculo cogitatibus mouetur ac fluctuat: is nunquam in bono pedem figit, nec ad veræ vitæ sublimitatem ascendit. At qui in lapide Christo pedes ponit quanto firmior in bono: tanto velociùs volat, hac stabilitate quasi pennis eleuatus.

CVM igitur *MAKOM ITHI* Locus mecum, ait Deus, locumque apud se esse ostendit: ad perpetuum cursum hortatur. cùm statum in lapide daturum se promittit, ita enim legimus: *VEHISABTA HALHASVR*: Et stabis supra petram, vel ad lapidem; modum diuini cursus ostendit.

NAM quoniam Christus interprete Paulo lapis est, omnem autem bonorum opem in Christo firmiter esse credimus, qui bonũ aliquod adeptus est: is in Christo est, qui verò peruenit ad Christum, & à manu Dei tectus est (estq. manus Dei, Vnigenitus Dei filius, & creatrix illa rerum virtus, qui & currentibus locus & via & lapis confirmatorum, & domus quiescentium) is audiet vocantem, & in eius posterioribus constituetur quod ait Dauid, Habitanti in adiutorio altißimi, is scapulis suis obumbrabit, quod est, post Deum esse constitutum. Nam Scapulę, posteriora sunt; & is de seipso ait, Adhæsit anima mea post te, & suscepit me dextera tua, quasi illud Mosys interpretur.

NAM

NAM vt hic dicitur, eum A dextera suscipi, qui post Deum adhęsit: sic ibi, Manus eum tegit, qui Dei vocem expectat in lapide. ac Dominus ipse, opinor hæc eadem explicans ait: Si quis vult venire post me, non dixit, Ante me; & alteri de vita æterna cogitanti pręcipit: Veni & sequere me. nam qui sequitur, non faciem, sed tergũ aspicit, & posteriora.

DOCETVR igitur Moses desiderans Deum videre, quomodo Deus videri posit. sequi enim Deum semper, quocunque ducat: id ipsum est Deum videre.

IAM transitus ille Dei, ducem esse Deum se ipsum sequentis, significat; fiere enim nequit, vt qui viam ignoret, rectè ac tutò iter suum pergat, ni Ducẽ præeuntem rectè etiam sequatur, idest tergum ducis respiciat. nam si deflectat ad latera: aut ducentis faciem cernere studeat, non eam viam insistit, quam dux ostenderit. atque ideo arbitror dici: Faciem meam non videbis, noli ad faciem ducentis Dei occurrere, ne in oppositum cursus fiat. Nam qni ex opposito Deum aspicit, non viuit. nõ quia causa mortis videntibus, sit illa facies. qui enim posit cum vitæ facies sit? verum quoniam & si Deus natura quidem vitam dat, proprium tamen illius est, vt omnem ccgnitionem excedat.

FORAMEN autem, siue capacitas lapidis, Apostolus explicat? cum domum non manufactam dicit spe seruari ijs qui terrestre tabernaculum dissoluerunt, quiq. quoad quidem in hoc mundo sunt, fidem conseruantes in lapide illo pedes suos firmaueruut, bonumque illum Mortis osculum, vt Hebræi vocant, gustumq. æternæ vitæ arrabonem & pignus, perceperunt. hi enim ante quiescere non possunt, quam ascensus sui, quasi cnrsus metas, finesq. contigerint.

NAM cuius animam semel ignis ille accendit, atque amor ignescit menti, sæuitque medullis: minimum habet cum corpore commercij. & quamquam versetur in terris, totus cœlo hæret, ac origini suæ; atque id est, quod addit de Angelorum domina, cælorumq. Regina. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.*

DVM asiduè, inquit, operi inuigilat, & se potius labori quàm somno dedit: lucernam suam non patitur extingui. quomodo enim Virgo excellentisima, sponsi pulcritudine accensa & inflammata aliquando quidquam de contentione remitteret? Nonne sibi etiam legerat præceptum, vt conceptum ignem aleret? semelq. accensum iugiter nutriret? Hæc inquit Moyses, lex holocausti. Cremabitur in altari, tota nocte vsque ad mane, ignis in eodem altari erit. Reuela iam Domina mea & mater Domini mei caligantes oculos, & considerabo mirabilia de lege filij tui.

QVID enim ait Salomon? *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Non dubito quin sumpserit à Mose: Tota nocte vsque ad mane ignis in eodem

altari

altari erit, nullo modo ardere desinet. Tabernaculum & vasa, instrumentaque illius omnia corpus nostrum repræsentant. Arca cor ipsum est, vt princeps corporis membrum. Tabulæ in Arca, intelligendi facultates & vires. Kerubim expansis alis supra arcam, Oculi nostri sunt. Mensa verò, Iecur. Candelabrum, fel. Altare sacrificij, in quo perpetuus ignis accensus esse iubetur, calor ille innatus, quem Vitalem vocant. Thuris verò altare, ac suffitus, nihil est aliud quàm Diuinæ illius maiestatis halitus, & adspiratio, influxusq. gratiarum. Sed continebo me, neque ex integro opere quid de his sum editurus, plura delibabo.

QVID ergò nondũ Arcana penetramus? quid enim ait, amicus ille Dei? Hæc est lex holocausti, eius inquit, qui ad Deum mente conscendit, quod est *HOLAH*, idemq. Paulus: Exhibeamus nos Deo *HOLAH* hostiam viuam & viuentem. Quæ nam verò lex? Hebraica exactè & accuratè expendamus: Ipsum ascendet iuxta conflagrationem suam, tota nocte vsque ad mare ignis altaris ardebit in se. hoc certè dicitur. Vt radij Solis illic sunt vnde mittuntur: sic animus sacer conuersetur nobiscum, hæreat tamen origini suæ, Ascendat iuxta conflagrationem suam, quantum de diuini amoris flamma, ardoreq. conceperit, quantumque ille accenderit, qui: Ignem venit mittere in terram, & accendi cupit, &

,, *Cuius amor ignescit menti, sæuitq. medullis*

tantum, inquit, Ascendat; nihil porrò de ardore remittat: Tota nocte, dum habitauerit cum habitantibus Cedar, dum incolatus eius prolongabitur, non extinguatur vnquam Lucerna eius: Concupiscat & deficiat in atria Domini, tota nocte *Ardebit in se vsque ad mane*, quod nullæ iam sequentur tenebræ, occasus nullus, nullæ dierum ac noctium conuersationes, aut vicissitudines; non enim amplius indigebunt Sole & Luna, quorum lucerna est Agnus.

ITAQVE cor ipsum Virginis admirandæ, quæ: Cor suum tradidit ad vigilandum diluculo, illud omne consilium manum suarum, omnisq. illius vitæ sanctitas, iustitia, innocentia, quibus illa virtutibus, veluti aliquod mundi spectaculum & prodigium, se præbuit admirandam: Lucerna illa est, quam in nocte Salomon extinctum iri negat. Ita enim spõsus, lucernas in manibus interpretatur artes exercitationesq. virtutum, quæ omni ætate cultę cùm multum diuq. vixeris mirificos afferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis: sed etiam quia conscientia bene actæ vitæ, multorumq. benefactorum recordatio iucundiss. est. Neque verò castitas, ait Grego. ma- ,,
gna res est sine bono opere, neq. bonum opus est aliquid sine castitate; ,,
quò etiã pertinet, quod de lumborũ pręcinctione dictum est, & certè duo ,,
sunt, quæ iubentur, & lũbos restringere, & lucernas in manibus tenere.

MA-

10. *MANVM suam misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum.*

HEBRAICE legimus: Manum suam misit ad vertibulum. est que id quo filum glomeratur, vulgo Ingiomeratore, quasi Inglomeratorem dicas, sedulę matronæ notum instrumentum, proculq. id à viris. Nam si muliebres & effęminatos animos viris exprobamus: Colum illis & fusum obijcere solemus.

„ *Apud te seruiren' tibi postulas viros?*
„ *Dare vnà illis opera, pensum postules?*
„ *Inter ancillas sedere iubeas? lanam carpere?* quod ergò pro leuissimo instrumento, fragili, arundineo, Editio Ecclesiastica posuit Fortitudinē, ita enim legimus: Manum suam misit ad fortia, quid, inquam dicat aliquis, tam longè Noster Interpres videtur discessisse? Quid enim rei est, vertibulo cum fortibus? quid porrò virili animo cum fuso? Et quāquam sedulæ & industrię matrisfamilias opus laudare videatur, vnum illud cauentis ne sua cessatione frustentur opera domestica, nunc ab agro ad lanificium, nunc à lanificio ad agrum; quæ præparatas habeat & pectitas lanas, quo faciliùs iusta lanificio persequi, & ab ancillis exigere possit: tamen sensum Arcanum esse & Mysticum, ostendit planè vnde Editio latina deriuata est, Græca prophetia.

QVOD enim pro vertibulo L X X. habent *συμφέροντα* Vtilia, ex Symmacho verò Ecclesiastica Editio retinet *ἀνδρεῖα* *Fortia*, nihil planè potuit dici admirabilius. Ad fortia certè misit manum suam. quid enim aliud spectamus in nostra Sulamithe nisi choros castrorum? robur inuictū? militares acies ritè & legitimè vallatas? bene vndique munitas? aggeres inquam, & sepiméta virtutum? & castra Dei sunt hęc, Angelorum inquam Deo preces offerentium, rursusq. descendentium, gratiasq. & donationes ab eodem nobis deferentium.

QVID enim dicat Salomon? Colū accinctā semper videas, tractat fusum & vertibulū. quin ergò dicimus potius quod res est: *Manum suā misit ad fortia,* Orabat prolixius, pernoctabat in oratione Dei, assidua, feruētissima, non discedebat è templo vigilijs, ieiunijs, orationibus insistens: Immolabat Deo sacrificium laudis, reddebat Altissimo vota sua; Sacrificabat sacrificium iustitiæ, & sperabat in Domino. & quid nam istis fortius, ad quæ *Misit illa manum suam*? Ascendebat eius oratio sicut incēsum in conspectu Dei; Eleuatio manuum suarum sacrificium vespertinū; Offerebat hostias acceptabiles Deo, fructum labiorum confitentium nomini eius. atque hæc nunc *Fortia.*

NIHIL enim esse oratione potentius, ostendit is, qui prolixa precatione Amalekitas profligauit, magis quàm Iosue dux cū vniuerso exer- de orone

 citu;

citu; ostendit Ezechias qui non gladio sed precatione, potentissimum & superbiss. Regem Assyriorum superauit, interfectis vna nocte centũ octoginta quinque millibus.

QVOD ergò, cum: Cor suum traderet ad vigilandum diluculò, & Anticiparent vigilias oculi eius, quòd aliud esset inclytæ Virginis studium? hoc in stadio longissimis quasi spatijs & cursibus exercebat se, ibat redibat, filumq. suum quasi glomerabat, fusum intorquebat. hic illius cogitationum omnium orbis atque circulus. Sola, inquam, sponsi pulchritudo: En illa *Fortia*, En colus & fusum, & glomeratum in eo filum.

NAM cùm lanam & linum initiò nominasset, eadem in figura & Metaphora insistit. Remq. ipsam vti est, videre LXX. quasi ergò fusum ageret, & in ea cogitatione penitus defixa, ardore illo & ęstu ita est euecta, vt Gyrũ Cœli sępius dicatur circuisse, & amoris ægritudine ita laborasse: vt ab animo planè fuerit derelicta. atque hæc sunt illa *Fortia*, Atria, inquam, tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus. & certe *Fortia*, & Atria vno & eodem vocabulo dicuntur VLAMIM.

IDCIRCO Fulcite me pomis, inquit, stipate me malis; quod est, suauibus odoramentis, viniq́ue laguneulis fugientem animam reuocate. Ita enim ex Hebræis Codicibus legimus: Fulcite me pomis, stipate me lagunculis. Odoribus enim corpora nostra delectari, etiam impleri, quod interpretantur nutriri: ipse Hippocrates scribit; tum non solum corpore humido, vt vino, sed etiam odore, animo fugienti salutare posse præsidium afferi. Vnguento enim, ait idem Salomon, & bonis odoribus delectatur cor, & Celsus: Si imbecillitas est: rosa tantum caput adiecto serpillo, similiq. aliquo madefaciendum est. Confert etiã aliquid ad somnium Silanus. Solenus, legendum puto. est fictilis, aut plumbea fistula ad aquarũ deductiones; Galenus: τὸ ὕδωρ μολυβδίνων σωλήνων ὀχετευόμενον φεύκτεον Aqua quæ per plumbeas solenas ducitur fugienda.

ERGO caniculo & fistula, seu cadentis aquæ murmure ægrotantis somnum dicit excitari, atque hoc scribit Salomon, qui & Arcana lingua Phialas, siue lagunculas, & poma posuit; & Euripides, vbi Phędram amãtem inducit ad famulas loquentem:

„ ἄρατε μοῦ δέμας, ὀρθοῦτε χαρα,
„ λέλυμμαι μελέων σωύδεσμα, φιλαι,
„ *Tollite meum corpus, & erigite caput*
„ *Soluta sunt mihi vincula artuum* paulo post, veluti canaliculo, & aquę murmure à sollicitis famulis recreata clamat:

„ ἒ ἔ πῶς ἂν δροσερᾶς ἀπὸ κρηνίδος
„ καθαρῶν ὑδάτων πομ' ἀρυσαίμαν
„ ὑτόλ' αἰγείροις, ἔν τε κομήτῃ

„ ὑπό τ'

„ *λειμῶνι κλιθεῖσ᾽ ἀναπαυσαίμαν*
„ *Eheu quomodo ex rorido fonte*
„ *Hauriam potum limpidæ aquæ,*
„ *Et sub alnis, & in viridi*
„ *Prato reclinata requiescam*

neque verebor auctoritate Clemẽtis Sacras literas Euripidem imitatum dicere. nam is, cum illud Prouerb. recitasset: Dulcis est panis absconditus, Hinc ait adiutus Pyndarus

„ *Dulcis est, inquit, furtiua cura Veneris.*

CONSENTIT ergò Salomoni medicorum princeps,& Euripides Vino & odoribus fugientem animam posse reuocari. Quin Democritum legimus, cum morti esset proximus rogatum a sorore, vt sacris Cereris quæ ipsa celebratura esset triduo interesset: iussisse eum sibi afferre panes calidos, quorum odore solo triduum amplius vixisse. quamquam nostri, odore mellis id factum esse velint. Olympiodorus visum etiam Aristoteli hominem scribit, qui radijs tantum Solis, & sine somno viueret. deodorib'

DE odoribus confirmat Galen. cùm docet datam respirationem non solum ad procreandos, verum etiam nutriendos spiritus animales. atque hoc est: Fulcite me laguncul is, Manum enim misi ad fortia, quod est, amore langueo. nam fortis est vt mors dilectio, neque aquę multæ poterunt extinguere caritatem, neque flumina obruent illam.

QVAENAM verò flumina? quasnam aquas dicis? Tribulationes dico, gladios & mucrones, frigora, pericula, infamias, fames, nuditates, sites; nil horum nos poterit separare à charitate Christi. quia lampades eius vt lampades ignis atque flammarum.

QVID ergò ait infelix atque miser cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur, qui nil impetranti negare potest, nihil recusare audet; poscit, dandum est; vocat, veniendũ; eijcit, abeundum; quid inquam qui improbissimis dominis dedecori ac turpitudine parere semper instituit?

„ *Cum leone, & cum excetra, cum Ceto, cum Apro Aetolico*
„ *Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo delectari mauelim,*
„ *Quam cum amore. ita fio miser quærendo argento mutuo.*

imo miserrimus,& nequissimus, certè agrestis ac furiosi domini, planè improbissimi seruus ignauissimus. Quid enim nostræ Religionis duces atq. principes? cùm excarnificata corpora calx viuus absumebat, radij lãcinabant, liquenti plumbo sartagines ardebant, viuis pelles detrahebantur, artus torrebantur, quid tum, in quam illi? Ignis, & crux, incursus bestiarum, dissipatio ossium, cõuulsio membrorum, totius corporis commolitio, ac supplicia Diaboli in me veniãt, dummodo Iesum Christũ acqui-

ram. Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar. superari certe Caritatis Christi flamma non poterat.

11. *PALMAM suam aperuit inopi, & manum suam extẽdit ad pauperem.*

ETSI tanta est illius in opere assiduitas, vt tenacior inde futura videatur: hilarè tamen succurrit pauperum necessitatibus; scit enim scriptũ esse apud hunc eundem vatem: Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tẽpora inuenies illud. Esto, inquit, liberalis & benignus, etiã in ingratos, & immemores, à quibus nullum expectas beneficium. confer etiam eò vbi putas periturum. nec tantum elige dignos quibus tribuas, neque diligenter inquiras in patrimonium & vasa debitoris. Seneca: Semina in solum effætum & sterile nõ spargimus. beneficia sine vllo delectu magis proijcimus quàm damus. quis non cum aliquid à se peti suspicatus est, frontem obduxit? vultum auertit? occupationes simulauit? longis sermonibus & de industria non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit? properantes necessitates elusit? in angusto verò comprehensus aut distulit, aut timide negauit, aut promisit, sed difficulter & subductis supercilijs, sed malignis & vix exeuntibus verbis. Cõtra Salomon: Vel in aquas transeuntes, nauigantes, inquit, nunquam redituros, neq. gratiam vnquam relaturos, quasi periturum panem mittendum esse dicit: quoniam post multa tempora inueniens illum, Deus remunerator optimus tibi rependet. Centuplum accipies, & vitam æternam possidebis, atque id: Post multa tempora inuentum iri dicit. Da ergò etiam nauigantibus, & à quo nil vnquam expectare possis, vt ab aquis quę rapidè feruntur, nunquam reuertuntur, Da nullo delectu, quasi qui bona tua in fluminis voraginem proijcias; Veniet aliquando dies, quo te fecisse non pęniteat. Inopem Aegyptium non despicit Ietro: Vocate, inquit, ipsum & comedet cibum. quid inde consecutus? socer fuit Regis Israel, eiusq. nepotes ac posteri, principatu & regno exstiterunt digni. Hinc ergò bona, benigna, misericors matrona pauperum necessitatibus facilè succurrit. *Palmam suam aperuit inopi, & manum suam extendit ad pauperem,* subtrahit aliquid ventri, pauperibus sacrat; eripit ipsa aliquid ab igne, reponit paululum aliquid à depascente flamma.

QVOD si Languenti, aut Fesso manus suas aperuisse diceret: existimare quis posset, bonę matris familias officium commendari; cuius est, opere ipso ancillam exhilarare laborantem, & interdum tanquam deficienti succurrere, pensum de manibus auferre, parumper & ipsam fungi suo officio, monereq. sic fieri debere, vt ab ipsa strenuè sit effectum; porrò languidiorem, & aduersa valetudine laborantem in valetudinarium cõfestim deducere, & conuenientem ei curationem adhibere, adesse, mini-

strare

ſtrare; fideliùs enim quàm prius ſeruire ſtudent, quæ conualuerint, cùm ægris diligentia eſt adhibita.

FACILIS hic ſenſus fateor, bona oratio eſt, neque adeo reijcienda. ſed nos ſpiritales eſcas, ſolidoſq. cibos, non lac ipſum mo dò concupiſcimus, requirimus certè ipſum ſanguinem & ſuccum.

CERTE quod inopi & pauperi dictũ eſt: replicãti diuinas Scripturas, ex earundem conſuetudine apparebit, magno id ſacramẽto poſitum fuiſſe. Nã quoniam omnium noſtrum iam olim laborantium & penè deſperatorum erga excellentiſs. Virginem, cuius vnius opera gratiã & miſericordiam à Deo ſumus conſecuti, tamq. ſalutarem & præſentem adepti medicinam, ſummus amor & ſtudium excitatum eſt, eiuſq. omni officio & pietate colẽdæ ſuſceptum eſt conſilium: ideo nunc genus humanum appellat, *Pauperem & inopem*, cui in ſapientia aperiens os ſuum Virgo benigniſsima, *Palmam ſuam* aperuiſſe dicitur.

ITA enim ab vno quopiam è ſuis progenitoribus de Filio ſcriptũ video; Gentes non prius illi parituras quàm Fortem armatum poſſeſsione deijceret, vaſa illius auferret, noſq. omnes duriſsimæ ſeruitutis iugo liberaret. Is enim alligato forti, & in Cruce triumpho celebrato, perrexit etiam in domum eius, Infernum ſcilicet, inde vaſa diripuit, & animas quas iniuſtus poſſeſſor ac tyrannus retinebat in aptiſsimam tot ſeculis libertatem vindicauit: Omnes, inquit, gentes ſeruient ei, quia liberauit pauperem a potente. Romana Eccleſia: Dominator tuus veniet, liberare populũ ſuum de manu potentis. Iob: Non eſt poteſtas, quę ei comparetur ſuper terram. Rurſus: In circuitu dentium eius formido, reputabit quaſi paleas ferrum, & lignum putridum æs. En illud: Tãquam Leo rugiens circuit quęrens quem deuoret.

AC nequis ſacramentum præteriret, & de communibus & quotidianis pauperum iniurijs quæ in oculos incurrunt loqui exiſtimaret: cum Emphaſi adiecit: Pauperem illum dico, illum inquam, intelligi volo pauperem, cui non erat adiutor. Sic enim Iſaias. Circunſpexi & non erat auxiliator, quæſiui & non fuit qui adiuuaret. Sed hoc ipſum illuſtrius multo Dauid: Frater non redimet, redimet vir, nec dabit Deo placationem ſuã. Nullus carnis tantum ſocietate nobis coniunctus placare Deum poterit. Ita Caldæus Paraphr. Salutare tuum expectabo Domine, Non expecto ſalutem Gedeon filij Ioas, quæ eſt ſalus temporaria, nec ſalutem Samſon filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed ſalutem Chriſti filij Dauid cuius redemptionem deſiderat anima mea; quæ nunc in ſolis Cõplutenſib. Codicibus leguntur.

FRATER ergò non redimet, redimet vir, qui frater ſimul & Deus, vt alibi docui. Nec dabit Deo placationem ſuam. Obſcurè. Hoc redemtionis

tionis pretiũ,non ſua, ſed noſtra cauſa eſt perſoluturus. Nõ dabit *LELOHIM* Deo, vel propter Deum. Non quod in eo diuinum, ſed quod in carne mortale. Porrò huius genus redemtionis pretium eſt. pretioſum,inauditum, planè inuſitatum & inſolens, mundoq. prohibitum. Laborabit in æternum,ſiue quod ex Hebræis codicibus dici poteſt *CHADALLEHOLAM*, Mundo prohibitum, A ſeculo,ab vniuerſo hominum genere remotum,alienum; quod nullus è fratribus preſtare potens ſit. Iuuat me Symmachus : πευσάμενος τῷ αἰῶνι τούτῳ, Quieſcit, Ceſſat huic ſeculo, omnes quietos eſſe iubeo, non eſt quod de ea repræſentanda laboret quiſquam,atque hoc eſt apud Vulgatum Interp. Laborauit in æternum,quãtumuis de ea ſollicitus laboret mundus: nequaquam aſſequetur,de eo vſque laborauit, ſemperq. adeo laborabit, neque præſtare verò poterit. Inſanabilis enim fractura tua,peſsima plaga tua, nõ eſt qui iudicet iudiciũ tuum ad alligandum, Curationum vtilitas non eſt tibi; Solus ille pręſentem allaturus medicinam qui pauperem redimet à potente, qui: Obducã, ait,cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te,dicit Dominus.

ET quoniam Vates eximius tantam ergà nos tamq. profuſam omnipotentis Dei benignitatem altiùs imprimi, aureſq. noſtras huiuſmodi vocib. cupiebat frequenter perſonare: ſtatim repetit: Parcet pauperi & inopi. Iteradum quæſo eadem nobis Dauid: Saluos faciet filios pauperum. Catholica Romana Eccleſia: Dominus noſter venit, & pauperum ſuorum miſerebitur. quid enim primis parentib. illo ſtatu deiectis egentius? miſerius? calamitoſius? creaturarum omnium commiſeratione dignius? quis ergò tantam paupertatẽ & inopiam ſubleuabit? niſi qui omnium potens eſt Deus, Qui eum qui primus formatus eſt pater orbis terrarum,cùm ſolus eſſet creatus cuſtodiuit & eduxit a delicto ſuo. Nos verò filij pauperum ſummus,quos tum in libertatẽ vindicatum iri dicit, cum deſcenderet ille ſicut pluuia in vellus.

NEQVE verò ſe de alia ſalute loqui, ſignificat planè cùm addit: Humiliabit calumniatorem. Ita enim ſui amore exarſerat, vt ne Deum quidem poteſtatem ſummam, æquo animo præferri ſibi pateretur. Calũniatorem verò, ſignificanter dictum; olim, apud Deum parentes noſtros deferre ac calumniari cępit, apud eos verò etiam ipſum Deum in odium, & inuidiam adducere; quid enim ait Sycophanta? Cùm Deus ſapientia ſua nihil habeat antiquius, eam ſibi vni cupit retinere, neq. vult ad illius communionem quemquam hominum admittere. Videt porrò mentes veſtras beatiſsimas altiſsimarum rerum cognitione delectari, ad maiora etiam aptas & idoneas: ideo, quaſi tenebris offuſis earum aciem perſtrinxit; atque mora iniecta velociſsimum curſum retardauit. pauca enim vobis, eaq. haud multum expetenda, ſibi vero pulcherrimarum rerum cognitio-

gnitionem reseruauit, & quoniam istius ligni fructus longè suauissimus, omnia hæc impedimenta reijcit ab se, neque vllas secum erroris aut ignorantiæ tenebras patitur consistere: nimium sui amans tātam felicitatem vobis impediuit; Et ego quē tu possis facilè dignoscere, Mane enim oriebar, & apud eū in summis delitijs aliquando fui, grauiter & iniquo animo ferens maximarum rerum scientia immeritò excludi: sensim me subduxi. pauca igitur vt assequamini, eaq. plebeia atque minuta, & viuatis minus diu, iniuria profectò vos, tot tantarumq. rerum dominos, bonorū affluentia & copia quadam prædiuite cumulatos, iniuria inquam vos, qui genus Dei sitis, admirabilissimi huius Ligni esu accessuq. prohibuit. quod si vos ipsos probe noueritis, circumspecite quæso vos, totosque tentate, planè intelligetis, neque quidquam vobis maius, excellentius & ornatius in hanc vitam venisse, neque vlla deesse vobis ad bene beateque viuendum à natura adiumenta. Cur igitur stulto nescio quo errore & timore præpediti, diutius patiemini, lumen istud animi, ingenijq. vestri vllius fraude & inuidia obrui & extingui?

EN calumniatorem & illius dolos, fallacias, sycophātias, à quibus nos multum misericors ille mundi Dominus, nostrarumq. iniuriarum assertor & vindex vel sanguine suo voluit redimere. Ita enim scriptum est: A dolo & calumnia siue Violentia, quod diuinitus Hieronymus dixit: Ex vsuris, & iniquitate, redimet animas eorum. sępe enim Exactorem eiusq. durissimam virgam detestantur Scripturæ, ex ijs sumta Metaphora, qui auidissimè expectant menses diesq. illos vsurarum patres, & pecuniarum exactores molestissimi miserorum sanguinem vt hirudines exsugunt. Itaque de eodem illud Isaiæ vsurpat & interpretatur Ecclesia: Iugum oneris eius, & virgā humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu &c. Et quod nunc: Humiliabit calumniatorem. apertius: Coram ipso procident Aethiopes, Agrestes, Indomiti, Desertorum incolæ, Sitientes, certè sanguinis nostri muro saturari non possent. hæc enim omnia significat vox a Dauide posita C I I M. rectissimeq. Aethiopes, quorum habitum & colorem nigrum illud pecus imitatur, & Hebræorum vetustissimi Angelos refugas accipiunt. Coram ipso procident, incuruabunt se, & Paulus: In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Nam geminata sententia: Et inimici, inquit, eius terram lingent, ob illud: Terrā comedes omnibus diebus vitæ tuæ.

ET de calumnia & fraude nobis intentata serpentem *BARIACH* Vectem atque tortuosum vocat Isaias. & L X X. vt summi quidem Græciæ patres prodiderunt, eundem appellarunt ἀποστάτην. Et quamquā *BARIACH*, Fugientem, Fugacem, id est Desertorem, ad fugam etiam impellen-

pellentem, prius enim ille à Deo recesſit & ſuos ſectatores præcipites tra xit, noſq. omnes deinceps ab eodem abduxit & abalienauit, Item Vinculis & repagulis incluſum atque conſtrictum (nos vulgò Aherrojado) *BARIACH* inquam interpretari poſsimus, quod vt D. ſcribit Petrus: Caliginoſi aeris rudentibus atque catenis quaſi cancellis ferreis, & cauea quadam incluſos in iudicium Deus reſeruauit: attentè tamen cum conſidero Vectis appellationem, Editionem Latinam laudare ſatis non poſſum. Nam vt olim

„ *Tytion terræ omniparentis alumnum*
„ *Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus*
„ *Porrigitur*

ſic in Vectis appellatione, longiſsimi illius quaſi fulloniæ vectis, ſic corporis proiecti & procurrentis infinita moles ſpectata eſt. Vt enim terrarum eluuiones & inundationes fluminum, molibus oppoſitis ſolent coerceri: ſic ſerpens hic antiquus

qui per freta magnum
„ *Labitur & longi vix corporis agmina ſoluit*

(ſic enim ait: Perambulaui terram & circuiui eam) haud aliter quam Vectis quædam longiſsimè diſtenta, huius magni maris alueo ſe diffundit, ac Cæleſtis patriæ, ac ſedis fortunarum omnium noſtrarum iter atq. aditum nobis intercludit. Neque verò Cetum qui eſt in mari, ſine Emphaſi, ſcriptum eſſe quis putet; quaſi non vnam modo partem, ſed totum mare occupet. quantæ enim magnitudinis eſſe oportuit, ad quem interficiendum gladium ſuum durum atq. fortem Deus adhibuerit?

ET quamquam terram perambulet, pugnas moueat, excitet horribiles caſus & ruinas: ad exaggerandum magis, *In mari* eſſe dicitur. Nam cum de ſerpentibus à Scriptoribus nauigationum Alexandri proditum ſit, quadraginta cubitorū a ſe viſos; & in Troglodytica Nymphes, repertos longos cubitorum quindecim ſcribat; & Ariſtote. Lacertos cubito maiores in Arabia reperiri; in India ſerpentes cubitorum ſexdecim; Dracones Aethiopicos ad viginti cubitos excreſcere; Indicos tanta eſſe proceritate vt circumplicatos eorum corporibus homines in terram demittant; a præter nauigantibus Arabiam oſſa boum viſa, quos ſerpentes vorauerunt; ſolidos etiā tauros & ceruos a Draconibus voratos; cumq. magnitudo animalium marinorū, terreſtrium magnitudinē longiſsimè ſuperet, teſtaceorūq. magnitudinē in mari Rubro inſignē legamus: in Trapobana eiuſdem maris inſula, teſtudines longas quindecim cubitis; in India verò earum teſtis pro ſcaphis vti liceat: quid nam quæſo de marinis ſerpentibus cenſendum eſt? Et quamquam occiſum iri Cetum qui eſt in mari, de tenebrarum principe Arcano ſenſu dictum ſit: tamen quod *In*

mari

mari, ait, in eo id quod dicimus vnum ſpectauit Iſaias. non enim hunc Serpẽtem cęterorum eſſe ſimilem, non cubitorũ quindecim aut ſexdecim, non quadraginta, neque porrò pedum centum viginti eſſe dicitur, vt in his myſticos & ſpiritales ſenſus latentes inquiramus; ſed hos vno verbo opinor explicabit. D. Paulus. Nam quod ait: Primitiæ Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti, deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cũ euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem & virtutẽ, oportet enim regnare donec ponat inimicos ſub pedibus eius, nouiſsimè autem inimica deſtruetur mors: tum Cetus qui eſt in mari, Circuit totam terram, perambulat circuens quærens quem deuoret, Arcano ſenſu occidendus eſſe dicitur. Cùm ergò euacuauerit principatus & poteſtates quorum princeps Cetus, & ſerpens ille antiquus, cum mors eiuſq. imperium abolebitur, fueritque omnino ſublatum quidquid bono aderſatur: tum inebriari gladium in Cœlo, & Serpentem occidi, in Metaphora Diuinæ litteræ dicũt: Humiliari calũniatorem: Chriſtum morte ſua de eodẽ triumphaſſe.

NAM & diuino illo Cãtico excellens Prophetiſſa, cùm de ſerpentis, eiuſq. ſectatorum ruina cecinisset: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; de paupertate verò & ſtatu illo infelicisſimo: Et exaltauit humiles: ſciunt enim Hebraicè periti pauperes & humiles vno & eodem vocabulo Hebræis appellari nempe *HANIIM*, vt rem ipſam magis explicet admiranda Virgo eoſdem Eſurientes appellauit.

SED & vnde tantum bonum, tantumq. promanarit beneficium, vt parentum noſtrorũ nuditas operta, & extrema illa paupertas fuerit ſubleuata, non aliunde eſſe, inquit, quam quod Deus priſtinæ miſericordię & iuriſiurandi ſui meminiſſet. Legerat enim eadem apud progenitorem: Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Neque verò aliam terram dicit Cantrix diuiniſsima, quam quæ ab Ezechiele ſcripta eſt: Omnes traditi ſunt in mortem ad terrã vltimam. Inferiores dicit partes terræ, Ad eos qui deſcendunt in lacum. Chriſtus enim à terra iſta illos ſuſcitauit, cum in ſanguine teſtamenti ſui eduxit tot vinctos à lacu in quo non erat aqua.

DE hac verò inopia & paupertate qua tot eſurientes ſaturati ſunt: ex eo planè locutum eſſe cõſtat: quod eiuſdem Crucis fructum ilico ſubintulit: Qui habitare facit ſterilem in domum, matrem filiorum lætantem. & ita Iſaias, cum verbera, vibices, liuores, mortemq. & ſepulturam, noſtri Redemtoris, & apud Inferos ſpolia cum fortibus diuiſa, celebraſſet: fructum addit præſtantem & eximium: Lauda ſterilis quæ non parturiebas, quoniam multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum. Sanctæ Eccleſię Virginis ad generandos populos Dei immaculatę fęcunditatis dicit genitale ſecretum, quod ſolus ille aperuit, de quo Arcane &

occultè ſcriptũ eſt: Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Dño vocabitur, Apertè verò: Quod naſcetur ex te ſanctũ vocabitur filius Dei, qui vnus, ait Ambroſ. non matris, quæ clauſa ſemper fuit, ſed Eccleſiæ deſertę prius ac ſterilis aperuit genitale ſecretum, iiſdemque Dauid verbis atque ſententijs ſterilem vocat & deſertam, omni prorſus ſobole & prole deſtitutam: Qui conſtituit, inquit, ſterilem in domo. Domum vocat: prolem & familiam, aperte ſtatim explicat Matrem filiorum lætantem.

EADEM porrò erat miſeria illa inopum, & gemitus pauperum propter quem exſurrecturum ſe dicebat ipſe Dominus. Patriarcharum enim gemitus & ſingultus dicit; vocemq́. Turturis in primis, quæ inopum & egentium cauſam ita procurauit: vt vnius precibus optatis ac votis ſit planè tribuẽdum, quod ſaliens ſuper montes tranſiliens colles aduentũ maturarit, idq́. immundi illi ſpiritus ſæpe conqueſti ſunt: Cur, inquiunt, ſimilis capreæ, hinnuloq́. ceruorum veniſti ante tempus torquere nos?

NAM cum ipſarum noctium ſilentio ſuadente, inuitante conſuetudine, ad ardentiſsimas preces ſe totam contuliſſet, pernoctaret in oratione Dei, quodq́. illi fuit quotidianum ferè atque perpetuum, dulciſsimas illas vigilias vigilaret, & quaſi quodam alarum remigio altiſsimas Cœli plagas pererraret: ſic cõcaluit cor eius intra ſe, & in cogitatione illa exarſit ignis: vt literarum monumentis proditum ſit, ad vocem illam Turturis quę diuinas aures ſæpius penetraret, vocem etiam ad eam diuinitus perlatam: Maria paries filium meum.

SED quoniam: Arcanum Regis abſcondere bonum eſt, iuxta illud: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, non minus ore pudica quã corpore argumenta fidei conferebat in corde, conſeruabat omnia verba hæc: ita enim ſcriptũ eſt: Tunc præcepit & dixit mihi. At quod ſibi Deus adeò liberalis & munificus dixiſſet, præcepiſſet, ſilentio putabat eſſe cõtegendum. ſed ex ſequentibus: Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, manifeſtè conſtat, idem hoc quod dicimus, Maria paries filium meum, Requieſcet in tabernaculo tuo, ſibi in Arcanis dictum ſileriq́. præceptum. & ita in Iſaia: Et omni militiæ eorum mandaui. quid porrò mãdauerit nondum eſt expreſſum; num verò id quod Paulus: & adorent eum omnes Angeli eius, vel Dauid potius: Præceptum poſuit illud nimirum: Sint in ſigna tempora, dies, & annos, & non præteribit.

ATQVE huius tanti Sacramenti & myſterij magnitudinem Vates hic eximius cum non poſſet ſilentio præterire, erat enim Deo plenus, & domeſtica diſciplina accuratè inſtitutus, variatis verbis atque ſententijs tam breui carmine mea quidem ſententia plus ſexies repetiuit. Nam lanam, & linum quæſiiſſe, cibaria tribuiſſe, domeſticos omnes coccineis induiſſe, ſyndonem texiſſe, cingulum verò aptaſſe Cananæo, panẽ deniq́.

tam

tam longè attulisse: nihil aliud planè Vates existimamandus est intellexisse, quam Dei verbum ad eam descendisse, illud circundsdisse corpore, & vestisse extrinsecus.

ET ne quis existimare posset Christi crucem & mortem totius quasi Tragœdię extremum actum, in quo eximiæ virginis excellens virtus eluxisset, à Salomone tanquam inerti poeta esse neglectum: Palmam, inquit, suam aperuit inopi. Nam etsi illius de puero curas, sollicitudines, fugas imprimis præcipites, & plenas trepidationis, cùm

» *Exclamat amens nuncio*
» *Succcessor instat pellimur,*
» *Satelles i, ferrum rape*
» *Perfunde cunas sanguine*

trepidationis inquam, ob illud: Accipe puerum & matrem eius & fuge in Aegyptum, cōmemorare Vates potuisset, de quibus Arcano sermone legimus: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigrans in mōtem sicut passer? ita.n. eadem in re accipit & interpretatur Ecclesia Catholica: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, Sicut auis transmigrās è nido suo sic vir qui reliquit locum suum, *SVVM*, inquit, quia: In propria venit & in domibus eius cognoscetur, Rursus: Sicut mane transit, à Nazaret in Aegyptum pertransijt Rex Israel, & ab Herode: Excussus est sicut locusta: nullum tamen dignius neque illustrius ad commemorādum maternæ pietatis testimonium visum est, quam quod non aliter ac rupes aliqua, Virgo innocentissima, magnumq. totius mundi miraculum, fugientibus viris casu præceptoris acerbissimo (non enim sanè diu cum illo fuerunt, & vti æquum fuerat, auditorum sectatorumq. fœdere inito seruatoque pendenti astiterunt; vt se ostendere tantummodo, non permanere voluisse viderentur) fugientibus inquam viris, cum assiduis eorum qui aderant & insultabat vocibus

» *Tunditur, & magno persentit pectore curas*
» *Mens immota manet.*
» *Ac veluti annosam valido cum robore Quercum*
» *Alpini Borea, nunc hinc, nunc flatibus illinc*
» *Eruere inter se certant, it stridor & altè*
» *Consternunt terram concusso stipite frondes,*
» *Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras*
» *Aethereas, tantum radice in tartara tendit*

cùm neque oris neque vultus species illa proceritasq. membrorum & corporis pristina agnosceretur, cruciatu & macie maiestas illa eximia formæ contabesceret, viresq. captæ atque confectæ, tanquam testa, ossa verò sicut cremium exaruissent, quasi ex ipsismet timoribus vires etiam atque

animos assumpsisset: astat morienti, & ex mulieribus vna plusquam virilis fęmina, doloris vi & magnitudine stupens & attonita, immoto vestigio, inconniuentibus oculis intrepida persistit; & cum ascendere non posset, & cum eo mori, neque atrocissimo spectaculo subducere, conquesta: protensis manibus abeuntem animam suo quasi ore videbatur exceptura.

NAM cum vinculum coagulumque animi, quod parentes cum filijs natura consociat, ex ipsius quoque filij adhęsione animi, amoris consuetudinis in ea sola vnde esset altus occupati, magna semper incrementa suscepisset, vigor ille maternæ flagrãtiæ sensim atque paulatim esset accẽsus, mortẽ verò pręcipitem & atrocissimam videt: nihil aliud cogitare potest, quam hoc vnum quo conficitur, omne scilicet sibi suæ vitæ solatium atque pręsidium auferri, maximamque cum illius corpore spiritus animique sui partem interire.

HOC enim est quod ait: Subarbore malo suscitaui te, Ibi enixa est te mater tua, ibi peperit te quæ nullum pariendo dolorem & cruciatum ceperat. Hic est significatus verborum germanus & genuinus. Solẽt enim dolores acerbissimi parturientium doloribus in Scripturis cõparari. Quã quam Vulgatus Interpres, cum: Subarbore corruptam & violatam esse dicit: illud Pauli videtur expressisse: Adam non est seductus mulier autem est seducta; & Arcano sensu ad Zachæum dicitur, Cum in parente tuo omniumq. progenitore olim esses sub ficu, tetro serpentis halitu afflatum, & illius veneni partem vidi te hausisse: iã tum noui te, tui rationem habui,

„ *Quando pomi noxialis* „ *Ipse lignum tum notaui*
„ *Morte morsu corruit* „ *Damna ligni vt soluerem.*

atque adeo tui misertus in terras nunc descendi.

RECTE ergo *Inopi* imo externo quidem habitu & specie abiecto, vilissimo, calamitosissimo, Dei ipsius hosti & inimico *Manum suam* extendisse. Ego, inquit, sum vermis & non homo opprobrium hominum & abiectio plebis. Quid enim? nullos ne sibi re salua parauerat amicos? imo eos quidem summos, intimos, familiarissimos. sed in quibus fides summa esse debebat: ab ijs est proditus, deceptus, derelictus. Tu quoque homo vnanimis, Dux meus & notus meus quidulces mecum capiebas cibos, Homo pacis meæ magnificauit contra me supplantationem. Quid illius arma? currus ignei? hastæ? gladij? clypei? non sæpe

„ *Terribiles cristis galeas, flammasq. vomentes*
„ *Sanguineas ingentes, loricas ære rigentes*

apprehendere, hostes conficere, & amicorum pugnas pugnasse dicitur? Apprehende, inquit, arma & scutum, & exurge in adiutorium meum. Effunde frameam & conclude aduersus eos &: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Quando autem potius vibraret gladium

suum

ſuum? arcumque tenderet, & pararet illum,& in eo pararet vaſa mortis? Sagittas ſuas ardentibus efficeret? Auertiſti, ait, adiutorium gladij eius deſtruxiſti eum ad emundatione,&: Non es auxiliatus ei in bello. Rectè ergò *Pauperi* omnino atque opis egenti.

AT prædium fortaſſe habuit? imo filius hominis non habet vbi caput reclinet. Quid Simeonis domus, quid Ioſeph, Ioannis, Lazari Bethania? denique Cedron?

„ *Arboribus clauſus circum atq. horrentibus vmbris*
„ *Religione patrum latè ſacer, vndiq. colles*
„ *Incluſere caui,& nigra nemus abiete cingit,*
„ *Et curuo anfractu valles accommoda fraudi*
„ *Armorumq. dolis, quam denſis frondibus antrum*
„ *Vrget vtrumq. latus, tenuis quo ſemita ducit,*
„ *Anguſtæq. ſeruant fauces, aditusq. maligni*

Proprius enim vocis *CEDRON*, vbi dulces illas vigilias vigilabat, & oratione feſſus duro lapide membra confouebat, rationem & originem exprimere non poſsis. Sed non habet, inquit, vbi caput reclinet ſic enim a diuiniſs. Virgine alicubi proditum accepimus.

CRVX erat ſolo fixa,& brachia eleuata, ita vt nodus Crucis inter ſcapulas eſſet, nec vllum capiti rèlinatorium Crux præbebat. & tabula tituli vtrique brachio ſuper caput eminens affixa erat. Ad Crucem igitur iuſſus dorſum vertit,& manum poſtulans primò dextram extendit, inde alia manus ad reliquũ cornu non attingens diſtenditur,& pedes ſimiliter ad foramina ſua diſtenduntur. Cancellatique & quaſi infra a tibijs diſtincti duobus clauis ad Crucis ſtipitem per ſolidum ſicut & manus erant configuntur. tum ergò mater clementiſsima quæ legiſſet: Oculos tuos ne trãſuertas a paupere, ab inope ne auertas oculos tuos, ſuſtentata quidem à ſororibus, ſtupore ſuſpenſa & ſemimortua, ad eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo deſpectum & nouiſsimum virorum,

Lacerum crudeliter ora,
„ *Ora manuſq. ambas, reſerataq. pectora ferro*

miſerum, deſertum, *Inopem*,& calamitoſum *Palmas ſuas aperuit*; quod Salomonem hoc loco planè voluiſſe, euincit ipſa ſermonis conſecutio, concurſus & continuatio verborum; non enim obſcura & ambigua aliqua circuitione, ſed ita clara, diſtincta, & aperta oratione vſus eſt: vt neceſſe ſit præcedentium & inſequentium eandem eſſe tractationem, neq. res inter ſe poſſe eſſe diſsimiles. Ait enim de eiuſdem Crucis & paſsionis fructu fecundiſsimo:

12 *NON TIMEBIT domui ſuæ à frigoribus niuis, quia omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.*

QVI

QVI humilibus ſenſib. contenti ſunt nec altius eos ducit ſpiritus, de eximio Vate ſanè quàm ſentiunt indignè, quid enim hic magnum occultarit, aut texerit ſermo iſte Diuinus? quibus, inquit, mane aliquid faciendum præcipit ſeruis, ne hyberno tempore, hyemali die algeant ſine ſagis aut pellibus foras nos patitur emitti. quæ hic figura ſermonis? qui ſermo parabolicus? quæ ſententiarum velamina? ænigmata & ſimilitudines? Nùm hic Abdemone opus fuit? Cùm idem certè villicus præcipere potuerit. Sed quoniam pręceſſerat de deſtitutione, ſolitudine, miſeria Redemptoris, iam vti par erat, & ſermonis conſecutio poſtulabat, aliquid de Crucis fructu dicendum hic fuit. Et quoniam Arcano ſermone ea vox poſita eſt, quæ *Duplicia*, & *Coccinea*, imo Coccinea potius quàm *Duplicia*, niſi Grammaticos Canones contemnere velimus, niſi Diuinę Linguę Sacramenta ignorare, labi, neſcire, & decipi, malum & turpe ducimus: *Domeſtici*, inquit, *eius*, & Paterni regni hæredes, cohæredes autem Chriſti, & in eius hæreditatis partem poſſeſsionemq. vocati *Non timebunt à frigoribus niuis, quia omnes veſtiti ſunt Coccineis*.

VIRGINIS domeſtici ſumus, qui Chriſto nomen dedimus. quoniam ergò qui Chriſtiano nomine cenſentur, ſunt illius vernæ, clientes, & alumni, hi verò veſtiti ſunt Coccineis, ideſt: Lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni: non eſt quod timeant a frigoribus niuis nam: Agnus veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine & vocabatur nomen eius Verbum Dei: Formoſus erat, ait Iſaias, in ſtola ſua, gradiens in multitudine roboris ſui.

AT primos Martyrũ cum flores in medio frigore infidelitatis exortos (libenter Eccleſiæ bonæ matris ſententijs & interpretationibus vtor) veluti primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quædam perſecutionis pruina decoxit, multoſq. præterea dilectos ſibi & caros, quoad quidem hic viuerent, paſſus eſt iacere: Non enim eſt Diſcipulus ſupra magiſtrũ, quomodo ergò non timeant hi à frigoribus niuis?

NON, inquit, de niuali frigore quo exuruntur agri, ſed quo redduntur feraciores hoc intelligi volo. Nam huiuſmodi pruinis ac niuibus quaſi iniecto fimo, totus hic ager fermentatus eſt, & tã copioſè ſuſus tot millium Martyrum ſanguis: Eccleſiæ noualibus & aruis lana fuit & fimus.

HIC enim eſt Arcanus Dauidis ſenſus & intellectus: Qui dat niuem ſicut lanam, pruinam ſicut fimum ſpargit. quamquam enim Editio Eccleſiaſtica, Nebulam, & Cinerem habeat: Hebraicorum vocum rationes & origines eæ ſunt quas dicimus; & τõ *EFER* & *KITOR* ſuus hic ſignificatus & vis. Nã cum de donis & prærogatiuis quæ Eccleſiæ ſua cruce peperiſſet, maximis illis quidẽ & eximijs, dixiſſet Vates diuinus: Qui poſuit fines tuos pacem, illam, inquam, Quæ exuperat omnem ſenſum; Quam mundus dare non poteſt; & de Corporis & ſanguinis ſui Auguſtiſsimo

ſtiſsimo myſterio addidiſſet: & adipe frumenti ſatiat te: iam de Eccleſia primitiu anguſtijs & ærumnis: Vt ſolum, inquit, quod conſerere vere ſtatuerimus, poſt Autumnum patimur iacere brumę frigoribus & pruinis inurendũ, quippè è contrario ſicut calor æſtatis, ita vis frigoris excoquit terram fermentatamq. ſoluit, quare peracta bruma tum demum ſtercus inijcitur: ſic æternus ille & peritiſsimus Agricola, eiuſdemq. filius, qui: Adam ipſe, inquit, conduxit me, & mercenarium fecit a iuuentute mea, Rurſus: Pater tuus, inquit, primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me: Dat niuem ſicut lanam & nebulã ſicut cinerem, ſiue pruinam vt fimum ſpargit, ideſt agrum hunc Eccleſiæ, vt ſolum tot millium Martyrum ſanguine profuſo mollitum, & ſubactum vt terram ſtercore ac fimo calefactam & excoctam, feracem & fæcundum reddit; Pruinam vt fimum tunc ſparſit.

QVOMODO, inquit, deſcendit imber & nix de Cœlo, & illuc vltrà non reuertitur antequã inebriet terrã, & det ſemẽ ſemẽti & panem comedenti, &: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ſic ego Patris Verbum non reuertar ad eum vacuus, ſed faciam quęcunque voluerit, & proſperabor in eis ad quæ miſit me. Ad cruciatus, ærumnas, flagella miſit: ſed non reuertar ad eum vacuus, reuertar & multum fructum afferam, videboq. ſemen longęuum.

IAM quod ex eodem peccato ad quod ille eluendum, quaſi mercenarius aliquis conductus, Interpretes ſuos præuaricatos dicit, & contaminatos principes ſanctos: illius gentis conſuetudinem tetigit. Vt enim leproſi & immundi, ne promiſcuum vulgus ſua lue inficerent, à templo arcebãtur; ſic ſanctos Patriarchas ex primo peccato vocat inquinatos, quòd vt olim leproſi, Diuino conſpectu priuabantur, donec cœleſtium & terreſtrium pacificator apprehendit arma & ſcutum, & potens in pręlio portas æreas confregit, ipſamq. captiuam duxit captiuitatem. Interpretes verò phariſæos dicit quorum commentis & interpretationibus factum eſt, vt Dei lege violata innocentiſsimus ſanguis fuerit effuſus. ita enim ſequitur: Dedi ad internetionẽ Iacob. *Non ergo timebunt à frigoribus niuis*, neq. tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium: Nã cum *Niuis frigora* nominauit, cætera etiam omnia intellexit. non enim ſigillatim numerare debuit. horrendum tribunal, & igneum flumen, inſolubilia vincula, & profundas tenebras, ſtridulos dentes, & vermen venenoſum, & ignem non extinctum, quæ parata ſunt in die belli, ignis enim grando, nix, glacies, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

NAM cum Deus multis & difficilibus quæſitis inſtitiſſet, & viſiſſet Iobum: Numquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? An mundum eiuſq. penetralia corpore adire potuiſti? aut è terreno do-

micilio illas regiones inſpicere, & diuinarum particeps rerum naturæ interpretationem & remotarum ab oculis rerum inueſtigationem tibi vindicare ? an huiuſmodi laborem arduum & profundum dignum tuo ingenio iudicas?cui abſtruſarum rerum diſceptatio deferatur? nunquid coniungere valebis micantes Pleiades ? aut gyrum Arcturi poteris diſsipare, an corpore peregrinatus es per cœli plagas his itineribus quæ exploratione acuminis tui peruia putes? quæ tanto interuallo à mundi vicinia Deus ſecreta eſſe voluit. nunquid, ſubiungit, apertæ ſunt tibi portæ mortis? & oſtia tenebroſa vidiſti ? An luſtraſti ſpecus receſſuſq. terrarum ? interiores cæcas latebras,nubeſq.& nebulas in obſcuro iacentes? vidiſti ne terrę cauos intra ſe receſſus?vmbram illam perpetuam?frigus ęternum? vaſtas ſpecus & ſpatia ſuſpenſis hinc inde montibus laxa? abruptos in infinitum hiatus & ſtagna obſeſſa tenebris? Quoniam ergò de theſauris niuis & grā dinis : Quæ præparauit, inquit, in tempus tribulationis , in diem pugnæ & belli, quis præter hiſtoriæ veritatem , qua alluſum eſt ad pugnas Ioſue & Deboræ cæterorumque omnium (De cælo,inquit,dimicatum eſt, contra eos,ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſarā pugnauerunt) quis inquam vetat Arcano ſenſu Gehennam indicari ? cum verbis haud multum diuerſis ac diſsimilibus , vſurpet Eccleſia; Dies illa dies iræ calamitatis & miſerię, Iob verò : Tribulationis , pugnæ , & belli. Qui ergò iiſdem filij coccineis induti ſunt non eſt, inquit, quod timeant à frigoribus niuis

„ *Rubri nam fluido ſanguine laureis*
„ *Ditantur bene fulgidis*

& : Coma, inquit, capitis tui ſicut purpura. Purpuram illam dicit Regis Iunctam carnalibus.

„ *Quam ſacer cruor perunxit*
„ *Fuſus agni corpore*

quos vndam ſanguinis profluentem interpretatur Eccleſia; hoc enim eſt quod ſequitur

„ *Mite Corpus perforatur* *Sanguis vnda profluit*
„ *Terra , pontus, aſtra, mundus* *Quo lauantur crimine*

ac verè nimis illud :

„ *O felix Roma ! quæ tantorum principum*
„ *Es purpurata pretioſo ſanguine*

hos enim Vates,Purpuream capitis comam appellat.Nec aliunde Purpura ſacri collegij inſigne decus & ornamentum, quam quod

„ *Per crucem alter alter enſe triumphans*
„ *Vitę ſenatum laureati poſsident.*

Et quia principes illi Fidei & Religionis noſtræ, inſigni paupertate fuere conſpicui : idcirco vox quæ hic a Salomone poſita eſt , nempe DALAL

magno

magno Sacramento, Comam & Egenos ac pauperes significat.

SED quòd *Duplicibus* potius quã Coccineis dictum est respexit Vulgatus Interpr. illud Isaiæ: Gaudens gaudebo in Dño, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimẽtis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me. & quidẽ multa de Duplicibus istis, & stola baptismi & immortalitatis hoc loco dici possent, plura de excellentissima Virgine, cuius beneficio sumus consecuti, vt pro nuditate illa Coccineis tegeremur. Est enim, ait Ecclesia, Paradisus animatus in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum, & operta fuit nostra nuditas.

13. *STRAGVLAM vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentũ eius.*

MIRVM quin laudet Aegyptias textrices, & inde *Stragulam vestem* attulisse sibi dicat; nã byssus, varia & acupicta ex Aegypto. Sed non patiar illustrem sanè locum cuiusquam interpretationibus obscurari, & præteriri. Suis ergò Duplicia, sibi verò varia multiplicia. Num ergo dicit varios illius vitæ status? fuit enim Virgo excellentissima initio ferè ætatis orfana, pupilla, parentes enim amisit adolescentula, fuit nupta, innupta, mater, sine filio, etiam vidua, martyr verò prestantissima, quæ totius illius vitę ratio, quædam Vestis est Stragula & mira varietate depicta. Sed neq. hic hærebo, rem ipsam attingam vti est. Optimus enim sui ipsius interpres Vates hic eximius, cum de eisdem subdit: Robur & fortitudo indumentum eius: cuiusmodi vestes intelligat, apertè declarauit; figuras consectari, non externum verborum sonum qui iacet & in promptu est. neq. alias vestes dicere se innuit, quàm incõparabiles Virginis dotes, prerogatiuas, virtutum illum chorum & concentum suauissimum, quibus illius corporis animi facultates, quamquam in tanta varietate, & quasi vestis stragulæ mirifico intextu, diuinitus temperabantur, & fraternè conspirabant.

HAEC illa est sanitas carnis, ossium & colli, aliàs Salomoni celebrata. Virtutum omne genus ad integritatem corporis, animæ & spiritus. Carnem, virtutes corporis vocat vt infirmiores, quibus illius motus coercentur, cuiusmodi peruigilia, ieiunia, humicubationes; quæ ad virtutes animę referendæ sunt, quas ossibus comparat, vt infirmiores, quibus effręnes cogitationum motus cohibentur, & interior ille homo purgatur; Collo comparat spiritum, qui instar colli corpus cum capite copulantis iungit nos Deo per contemplationem. Virtutes autẽ spiritus, tres illæ principes sunt Fides, Spes, Caritas, sine quibus nec ipsæ illę animæ proficiunt, & hæ rursus referendæ ad Dei contemplationem. En triplex ille funiculus qui difficilè rumpitur. & quidem *MARBADIM* aureos torques & funiculos è gemmis, potiusquã *Stragulam vestem* significat (nos

H Sarta-

Sartales vulgò, nihil enim isto fœdere, & societate esse aut dici potest mirabilius.

NAM vti chorus canentium si non ad certos modos & numeros consensit, dissonum quiddam atque tumultuosum audientibus canere videtur; at vbi certis numeris ac pedibus velut facta conspiratione consensit; atque conuenit: ex huiusmodi vocum concordia non solum ipsis canentibus amicum quiddam & dulce resonat; verum etiam spectantes, audiẽtes lætissima voluptate permulcentur: sic etiam cum corpus ei quæ in nobis est pars melior atque diuinior paret & obtemperat, eiusq. motus & impetus a ratione alienos, vt auriga mens, in gyrum rationis ducit: suauissimus ille oritur concentus, quem eximius Dauid, cum de eo heram & Reginam nostram gratias agere iubet, *Pacem* vocare consueuit. Ait enim ad eam: Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. quoniã confortauit seras portarum tuarum. Portas, inquit, siue fenestras tuas Virgo veneranda per quas mors solet introire, ille cõfortauit qui fecit tibi magna, & potens est, & sanctum nomen eius, Filius inquam conclusit, earumque Vectes & seras oppilauit; vnde factum est vt filijs tuis benediceret. Quibus nam verò filijs? Paulus, Saluabitur mulier per generationem filiorum, virtutum, inquit, operum & clarissimarum actionum, quibus ille filijs benedixit, filijs in quam tuis in te; nam tui immitabiles mores, virtutes incomparabiles, totius vitæ studia, actiones, cogitationes ex eo planè extiterunt tanto custode dignissime: quod ijs custos ipse benedixit. sed & id apertius Salomon: Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis filia principis, & Salomonis pater: Qui posuit fines tuos *Pacem*, illam opinor animæ & corporis concordiam & conspirationẽ dicit de qua scriptum est; Fratrum qui essent concordes conuictum, omni muro esse fortiorem: Ecce enim quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. quos nunc fratres dicat interpretatur Oseas. Ero inquit mors tua ò mors, & morsus tuus ò infernè. consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet. ipse inquam Christus animam a corpore, suam diuidet, tum verò infernus spoliabitur. Animam meam nemo tollet a me, ipse pono eam; Et Potestatem habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam.

PORRO quis nã erit istius pacis fructus Diuinissima Virago? quid nam quæso boni nobis ex tua pace relinquitur? Apertè respondet: Adipe frumenti satiat te. Dei filium dicit anteuertisse Patriarcharum vota, in illius vterũ se demisisse. Obscurius enim Dauid, Frumenti adipẽ dixerat, locumque alijs verbis atq. sententijs illustrauit. ait enim: Qui emittit eloquium suum terræ, estq. Dei filius verbum, Eloquium, Sermo, & Patris oratio, qua ille nobis est locutus, quod os Domini nominauit; *Velociter* ob illud

ob illud: Accelera,ſpolia detrahe,feſtina prædari; currit ſermo eius; Certè: Saliens, vt dixi, ſuper montes,tranſiliens colles.

QVOD igitur frequentiſsimè animorum habitus Indumenta appellari legimus: Fiat illi vt indumentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur: Induantur vt diploide confuſione ſua; In bono:Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, fides cinctorium renum eius; Accinxit ſe Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe; quod denique de omnium viuentium Dominę ac Reginæ amictu variegato, interna gloria, pulchritudine,fimbrijs aureis & veſtitu deaurato, Scutulata veſte, vniuerſo Scripturæ corpore ſparſa & conſignata legimus: nunc Salomon: *Stragulam veſtem* aptè nominauit: Eam porrò veſtem incomparabilis Virginis dotes & prærogatiuas dici, ex eo conſtat, quod in Hebræorum commentarijs memini legiſſe. Nam vbi Mardochæus Regali ornamento illuſtris & conſpicuus,Regis iuſſu dicitur,equum conſcendiſſe, ita ſcriptum reperi, quod latinè dicam. Mardochæus hic in parabola,Anima eſt quæ myrrhæ & thuris ſuffitu, ſuauiſsimiſq. odoribus fragrantiſsima (ſunt autem hæc opera, exercitationeſq. virtutum) pura mundaq. aſcendit, proditq. Regali ornamento ac iudici ſe ſiſtit. Hiacynthus qui *TEKELETH*, nil eſt aliud quam *LE TAKLITH* ideſt perfectionis metas & fines attigiſſe.Porrò veſtes candidæ *CHVR* enim quod eſt candidum, à *CHIVAR* Albedine ſcilicet ductum eſt, iuxta illud: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, vitam dicit puram innocentem, inculpatã. Aureum diadema ſplendor ille eſt, & corona,pulchritudinis, quo iuſti cincti ſunt & redimiti. Ita enim legimus apud Iſaiam: In die illa erit Dominus Sabaoth in coronam deſiderabilem. Ciuitas porrò Suſan quod eſt Lilium, vrbs princeps Perſarum, vbi Reges voluptatis cauſa hyemabant, dictæ certè a pulchritudine & amęnitate,nam Perſarum lingua σοῦσον Lilium dicitur, magna eſt illa domus Dei, & ciuitas æterna, *SISAH* ſex angulis,vt ſenum foliorum ordine *SVSANAH* ſiue lilium, vndiq.perfecta & abſoluta. Exultat verò Mardochæus, quia apud iuſtos ſummũ gaudium & felicitas exiſtit.Hæc Hebræi. Recte ergò incomparabilis virginis dotes *Stragulam veſtem* appellauit. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis, eò quod induta ſit, ait Athanaſius, quantum ad ſanctiſsimã eius carnẽ ſpectat, incorruptibilitate & immortalitate; circumamicta varietate rurſus, quantum attinet ad oſſa ſanctiſsima, quæ eius carnem ſuffulciunt.

NEQVE verò aliter interpretari fas eſt,ſi Romanę Eccleſiæ,quæ eãdem illam interpretationem habet,filij eſſe & haberi velimus.Sed Athanaſiũ nos, quamquã ab eloquentiæ opibus imparati & inopes,in gratiam tamen Virginis excellẽtiſsimę illuſtrare conabimur.Variegata,inquit,quã-

tum attinet ad ossa sanctissima. Nam inexplicabiles illos & tanto dignos Architecto neruos venarumq. meatus numerant Hebræi 365. Ossa verò solida 248. est hic mira varietas, Variegata ergò ait quantum attinet ad ossa sanctissima. Iob quidem: Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseũ me coagulasti? Dauid ita loquitur vt dicat, nulla ratione posse comprehendere, quæ nam sit corporis natura, quæ vis sensuum, qui instrumentalium membrorum apparatus, quæ viscerum dispensatio, quæ se ipsum mouẽs membrorum efficientia, quo pacto ex ijs, quę in nobis sunt, aliud quidem in ossis naturam concrescat, aliud in lucidum oculi splendorem; quomodo ex eodem cibo & eodem corpore, hoc quidem in crines tenuatum diducatur, illud in vngues dilatetur.

CONFITEBOR tibi quia terribiliter magnificatus es. Gratias tantum agere vacat. Vincor enim rerum magnitudine & difficultãte. fateor stupere me ad tanta rerum miracula: Non est occultatum os meum à te. In capite, inquit, adeò paruo omnes præstantiores sensus collocasti propè inter se confines ita ædificans, vt neuter illorum operatione sua vicino officiat Os meum Illud inquam Craneum & cerebri cauitas, quo alio artifice & architecto constitit? illius inexplicabilis ædificij in latebris vteri materni (Ventrem enim Inferiora terrę, tanquam antrum caliginosum vocat, vt Ionas, & Salomon antra vẽtris) non tu fictor formator architectus? Contextus sum in abdito & caliginoso loco, sed *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, adhuc fætus rudis & informis cum essem, intimos penetrabas alui recessus, & vel tenuissimas corporis particulas in album referebas.

AC de cæteris quidem totius corporis partibus ac membris: Imperfectum meum viderunt oculi tui; at in cerebri ipsius ædificio, plura aliquanto quàm in vlla parte alia concurrunt, quæ admirari possimus, intelligere penitus & explicare non possimus. Latet quidem nos istud quod fecisti Os in occulto, sed: Non est occultatum a te.

NAM quamquam caput ex sex constet ossibus: idem tamen cũ Dauide & Galeno, ob excellentiam, Os videmus appellari, illud potissimum quo cerebrum includitur: Extat, inquit Arist., Os capitis continuum quod Caluaria dicitur. Galen. Quod os capitis Caluaria appelletur, ante dixi. & quoniam constat suturarum commissuris inter se artificiosè coagmẽtatis, habetq. membranas geminas, fibrarum nexus, anfractuum complicationes, & conglomerationes, cellularum parietes, & ædificia, multiplices ambitus, & gyros helicum instar, idcirco operi Phrygio, vel polymitario comparauit.

NAM pro eo quod de eodem osse cuius mentio pręcesserat, Vulg. Interpres dixit: Substantia mea, posuit Dauid: *VERVKAMTI*, Acupictus

pictus sum, in inferioribus terræ; expresſit Athan. Variegata quod attinet ad oſſa ſanctiſsima, quòd pertuſum ſit, foris quidem obliquorum ſinuum ductibus, intus alueis patẽtioribus, qui vt ardua laquearia maximorum ædificiorum, incumbentem molem reliquæ maſſæ ſuſfulciunt. Acupictus, inquit, ſum, & pro eadem voce RIKMAH apud Ezech. Varia & Scutulata à noſtro dictũ eſt, &: Byſſus varia ex Aegypto texta eſt tibi in velum, &: Syros mercatores Tyrum comportaſſe gemmas, purpuram, RIKMAH Scutulata & byſſum, quidquid eſt acutextum ſiue bombyce laboratum & pictum. Nã quod in illis ſinuoſis plicis, ſeu coeuntibus fiſſuris, anfractuumq. interſtitijs ac ſeptis ſolidum cernitur: hoc omne ſpongiarũ inſtar tenuiſsimis & viſum effugientibus foraminibus, qualia qui acupingunt conficere ſolent: peruium poroſumq. eſt.

OB admirabilem igitur & Oſsis omniũ principis, & cæterorum neruorum & oſsium, carnis cutiſq. compagem, ob meatus illos & ramos fiſſura multiplici diſcerptos, rurſuſq. implexos inter ſe & tenuiſsimę membranę intertextu deuinctos: ſe vocat Acupictum, & quantum attinet ad oſſa ſanctiſsima, Variegatã canit Eccleſia, Virginem ſacroſanctam & ſuperbenedictam, & Vulgatus interp. eos qui Romanè locuti ſunt, eruditè imitatus Stragulam veſtem feciſſe ſibi dicit. Stragula enim ſunt periſtromata conchyliata; florum & animalium figuris intexta atque depicta. Poeta feſtiuiſsimus:

„ *Niſi ſomnum ſecordiamq. ex pectore oculiſq. amouebitis*
„ *Ita ego veſtra latera loris faciam vt validè varia ſient*
„ *Vt ne periſtromata quidem æque picta ſint Campanica*
„ *Neque Alexandrina belluata conſutaq. tapetia,* & meretrix:

Intexui funibus lectum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto,

IAM de aureis fimbrijs, & veſtitu deaurato, ſtola duplici immortalitatis & incorruptionis, quãtum attinet ad ſanctiſsimam Carnem, Eccleſia ex Damaſc. Vbi nam eſt aurum illud purum, quod manus Apoſtolorum in te (Apoſtrophe eſt ad ſepulcrum) condiderunt? Vbi diuitiæ quæ conſumi nequeunt? vbi abyſſus gratiarum? vbi pelagus curationũ? Quid quæritis, reſpondet, in ſepulcro quæ ad cœleſtia translata eſt tabernacula? non poſſum ego diuinis iuſsis reſiſtere, relictis ſyndonibus abijt raptum ſublimè.

ET ita certè a maioribus noſtris creditum eſt, ſingulari filij priuilegio impetraſſe, ne daret ſanctum ſuum videre corruptionem. Cur enim ſi eadem eſt, filij Dei & eiuſdem matris caro, ita enim in Arcanis legimus dixiſſe Filiũ: Equitatui, ſiue quod eſt in Hebræis Codicibus Eque, ideſt, carni meæ in curribus Pharaonis, quibus tyrannus ille violentiſs. mortis auctor dominatur, aſsimilaui te amica mea, vt iure etiam poſsit ipſa dicere

Θεότοκος: Filius meus es tu, ego hodie genui te, cur, inquam de corpore & Spiritus sancti sacrario, in quo Vita suscepta est, vsurpare vereamur? Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

ET quod ait: Omnis gloria filiæ Regis ab intus, hoc dicit, Interna est
" illius species, decor, pulchritudo. num enim palàm se pulchram & spe-
" ctandam dedit? virorum aspectu delectata est? an incessu, ornatu, comita
" tu homines illexit? flagrantia oculorum, aut libertate sermonis quem-
" quam prouocauit? ambulauit extento collo? crispauit crinem? frontem
" discriminauit? pinxit oculos suos stibio? ornauit caput suum? vt filiæ isto-
" rum compositæ circumornatæ sicut similitudo templi. Vidit eam vllus ge
" stantē lunulas? annulos? inaures? torques & armillas? gemmas in fronte
" pendentes aliquando conquisiuit? an istis filiabus Sion,

quæ noctes diesq. in omni ætate semper
" *Ornantur, lauantur, tergentur, poliuntur*
" *Quarum pulcrum ornatum praui mores peius cæno collinunt,*

" quarum Dominus nudato crine caput decaluabit? numquid istarum
" fortasse similis est? Vana, inquit, est ista vultus gratia, vana pulchritudo,
" nostræ huius gloria PENIMAH intima est, tota quanta est Christi
" bonus odor fuit: Quasi balsamum aromatizans, ait, odorē dedi, & quasi
" storax, & galbanus & vngula, & gutta, & libanus non incisus, vaporaui
" habitationem meam. Carnem dicit & corpus animę domicilium, & quasi
" balsamus non mistus odor meus.

Byßus & purpura indumentum eius. Quoniam de volucri & alato Dei curru apud Ezechiel. Ex medio ignis similitudo quatuor animalium, facies hominis, facies Leonis, bouis & Aquilæ; cumq. eleuarentur animalia: eleuabantur & rotæ. & eleuata sunt Cherubim, ipsum est animal quod videram. & eleuantia Cherubim alas suas exaltata sunt a terra, & gloria Dei Israel erat super ea, & intellexi quod Cherubim essent. Apertius verò Dauid: Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas vētorum, Porrò gloria Domini Israel stetit super Cherubim; & cū legamus de matre Redemtoris, Quæ est ista quæ ascendit de deserto innixa supra dilectum! Cherubim autē alas suas protendisse describantur, canat porro Ecclesia: Sacrosanctum corpus relictis syndonibus, abijt sublime raptum comitantibus Angelis, Archangelis, & omnibus cælestibus potentijs; Græci verò Doctores: Lucidissimum corpus reuerenter alis suis operiebant; Item: Beatissimi spiritus sensim eam eleuabāt in altum; in hac interpretatione diu multumq. defixus, Scripturas conferens, & à Deo maximè earum intelligentiam precibus efflagitans, in hāc cogitationē tandem veni, quod dicitur *Byßus & purpura indumentum eius,* Arcanum in eo sensum, Spiritum sanctum consignare voluisse.

" Auia

,, *Auia Pieridum peragrô loca, nullius ante*
,, *Trita solo; iuuat integros accedere fontes*
,, *Atque haurire, iuuatq. nouos decerpere flores.* nam si credimus Hebræorum vetustissimis Zohari in primis, in septuaginta facies vnam & eandem Scripturam variari posse, est exploratissimum.

QVOD si beatissimi spiritus sensim eleuabant beatiss. matrem nostri Redemtoris; alasq. reuerenter protendebant: erant ei planè tum pro indumento. Num ergo præter eos sensus quos attulimus, cum *Byssus & purpura* dicitur *illius indumentum* Angelicas potestates cum a filio assumeretur, dicendũ est intellexisse Salomonem? Nam quæ homo esset, adiumento indigebat alieno, & maior quidem Virgo veneranda, extitit Elia. hic, vt placuit sanctiss. viris, in cælum aereum, terræ quidem proximum raptus est, neque verò eò nisi per Angelos ascendere potuisset, in secretam quandam terræ regionem, vbi in carnis & spiritus quiete viueret; Virgo præstãtissima omnes Cælos penetrauit, super choros Angelorum exaltata est, &

,, *Purpuream niueo chlamydem circundata limbo*

adsistit Regnatori. Redemtor, virtute sua ferebatur, corpusq. carneum quod Dauid Nubem vocat ad æthera librabat. Qui ponis, inquit, nubem ascensum tuum, Carnem propriam, non vllum currum, aut Angelos requiris.

ET quamquam Virgo excellentissima, & veneranda Mater præpotẽtis Dei, quæ incomparabili, & immitabili exemplo castitatis: Accinxit robore lumbos suos, & intimi illius amoris flamma exarsit ardentissima, de eo ex ipsis Arcanis Scripturis, Byssus & purpura illius indumentum posit appellari (neque enim aliud est ex auro, hyacintho, purpura, cocco byssoq. retorta celebre illud Sacerdotis indumentum, quam illius virtutes illustres & eximiæ, tum cælestium rerum amor & spes, & in vitijs proprijs reprimendis potestas quædam Regia & eximia, verumq. illud & Regale sacerdotium, quo nimis principatus noster confortatus est, data potestate, vt filij Dei simus, duplicisq. caritatis, Dei simul ac proximi duplex illa cocci infectio & tinctura, byssusq. torta carnis maceratio, & castitas præfulgens) nam sponsæ datum est vt induat se bysino candido & splendido: rectè etiam dici posit eandem filij carnem Byssum & purpurã à Salomone appellari, quæ eiusdem sit ipsius matris indumentum; Suscepit enim à virgine, vnde sacrificium fieret pro ea: constat tamen Byssi appellatione, vel ipsas Angelicas potestates indicari, est enim eorum puritati conueniens indumentum, & apud Danielem, lineis induti & amicti stolis albis semper inducuntur; & cum Cœlum Deus homo penetrauit: in albis præbuerunt se spectandos & conspicuos; vel magnum illud & pro

& profuſum earumdem omnium gaudium, & Reginæ exultationem poſſe comprehendi.

DE Purpura verò non eſt mihi apud doctos præſertim, valde laborandum, ſi diuinas & Arcanas Scripturas, ſi Hieronymum, Clementē, ſi Iudæos in primis Veteres, & Arcanorum indagatores ſubtiliſsimos aliquando volutarint. Nam præter ea quæ nota omnibus, & manifeſta ſunt, & diuinis ex Oraculis haurimus, currum & equos igneos, quem refert colorem Purpura, quibus Reip. Iſraelitic vnicum dum vixit, præſidium & columen Elias raptus eſt, Angelos fuiſſe, qui ſpeciem ignis induerint. quod ſæpe factum teſtatur ipſe Dauid: Qui facit, inquit, Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros flammam ignis, &: Currus Dei decem millia, millia, inquam Angelorum, & Deus inter eos, vt purpuratum illius indumentū dici poſsint, præter hæc inquam, inter Veterum Hebræorum præclara monumenta Arcana & antiqua Traditione (oportet enim Traditione vti, neque omnia à Scriptura accipi poſſunt) iam inde a Moſys ſucceſſoribus conſignatum eſſe video, Purpuram Regis Salomonis, de qua ſcriptum eſt: Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, ſtratum eius aureum, quadrigā eius, ita enim Hebraicè legimus, purpuream: Ezechielis eſſe quadrigam, & quatuor alati & volucris currus animalia, quatuor eſſe Angelicas poteſtates Gabrielem, Michaelem, Raphaelem, Nurielē, *ARGAMAN*, ſiue Purpuræ nomine occultè deſignatas. Nam ex horū nominum primis elementis conficitur id nomen quod hic Salomon, id eſt, quo Purpuram Hebræi (neque enim aliud habent) Sacri inquā ſcriptores ſemper & vbique intelligunt, appellant. & Vriel ac Nuriel vnum tantum eſſe cenſent, certè vnius & eiuſdem nomen eſt.

NAM fluuius ille igneus, & ſplendor electri, & ignis inuoluens, & aſpectus animalium quaſi ignis & ardētium lampadarum: tam Vriel quā Nuriel dicitur Hebræis; vt quorum idem ſit ſignificatus, illa etiam vnum & idem eſſe neceſſe ſit, & cum dicat Eccleſia: Angelis, Archangelis, & omnibus cœleſtibus potentijs comitantibus ſanctificationis arcam innixam ſupra dilectum aſcendiſſe, eaſque lucidiſsimo corpori alas expandiſſe: recte hi Byſſus & Purpura eius indumentum potuerint appellari.

NEQVE verò hæc vana aut fabuloſa, aut aliunde potius, quàm a Prophetarū diſcipulis & auditoribus, Moſys inquam ſodalibus profecta quis exiſtimet; niſi forte Deum de Nili ortu, aut maris decrementis, arteriarum pulſu, Veſſuui & Vulcani incendijs, ac non potius de mundo inuiſibili, tot dierum & noctium continuato ſilentio cum Moyſe locutum fuiſſe dixerimus.

CVR enim non conſiderant quod ſcriptum eſt: Non ſic famulus meus Moſes in omni domo mea fidelis, Omni domo, inquit, Viſibili ergò

& in-

& inuiſibili. Confer tabulas, recita Scripturas, O Iſrael quã magna eſt domus Dei & ingens locus poſſeſsionis eius; Recita de Euangelio: In domo patris mei manſiones multæ ſunt. non enim maximæ iſtius domus princeps architectus, Moſem fecit ſeruum atrienſem; qui ad limen ſteterit, neque ipſius domus interiores receſſus & aulas penetrarit. In omni domo mea fidelis, inquit; Eſt ingenio prompto, & expedito, vegeta memoria; vt perceperit retineatque fideliter quæ de orbe vniuerſo, omni domo mea viſibili, inuiſibili, creaturarum facultatibus, viribus, naturis, quæq. ipſas conſequuntur effectionibus, varijs curſibus aſtrorum, mutationibus temporum ac viciſsitudinibus, de inuiſibili domo, eiuſq. penetralibus, vniuerſa Regia, aulæ cuſtodibus, curatoribus hominum, eorumq. officijs diſtinctis, vt nominibus, ſic etiam miniſterijs, diſerentem audiui.

HAEC, inquit, eſt veſtra ſapiẽtia & intelligentia coram populis, qui audientes vniuerſa præcepta hęc dicent: En populus ſapiens & intelligẽs. Cumq. Sapientia nihil aliud ſit quam altiſsimarum rerum cauſarum cognitio; intelligentia verò, cum ipſis rerum cauſis cognitis atque perceptis, ad earum fines, quęq. ex ipſis conſequuntur effectiones penetramus; vniuerſa porrò lex nihil aliud quam earum omnium rerum cognitionem & comprehẽſionem ſubminiſtrat; qui vniuerſi totius ordinem, ait, Rabi Moyſes ex ſapientiæ traditione recipere voluerit, is facilè cętera omnia poteſt ſuperſtruere. Rurſuſque: Non eſt aliud Diuinæ legis propoſitum & inſtitutum, quam de Deo, & Angelorum ordine afferre documenta, vt inde vniuerſum orbem comprehendant; cuius omnem formam, rationem, comprehenſionem tradidit Deus Moyſi, Moyſes verò arcanis & myſticis ipſius legis ſenſibus, vt ſigillis quibuſdã ea conſignauit. Quinquaginta ſunt, inquiunt, ianuæ ſapientiæ, vnam ſi exceperis, ita enim ſcriptum eſt: Faciem meam nõ videbis; omnes in arcanis traditæ ſunt Moyſi. Erant enim hęc ęnigmatibus & velaminibus ſuis cõtegenda: Ex eo.n. princeps ille ac ſummus architectus, velle ſe aiebat, ipſum tabernaculũ, vaſa eius omnia, vtenſilia, cunctamq. ſupellectilem, miniſtros, cantores, excubitores, ianitores, cuſtodes, vigiles, chiliarchas, iudices, ipſas etiam vexillorum imagines, ad oſtenſum ſibi exemplar parari atque conſtitui.

NON enim ſe dicebat corporei laboris officio orbem inſtruxiſſe, ſed infatigabili prouidentia, & procul poſita, cuncta contingere. habere cõſules ſuos ac regulos militiæ principes, & curiæ proceres; vt vrbium & domorum, ſic ſuos rectores; horumq. eſſe inferiorum miniſteria in quos imperent. Itaque circumſeptum admirabili Regia, maximis interuallis cũcta complecti; propiores quoſq. de poteſtate ſui amplius trahere; ſed eius indulgentiam ad infima quęque, & beneficia peruenire; & ad nos & vltrà poteſtatem ſui nominis tendere.

EN, inquit, portas duodecim & earum ianitores ac Vigiles, interiores fores, & exteriores ianuas, aulæ penetralia. Vides antè fores stipatores meos, velut Regalium laterum tutela peruigili, custodiam per vices fortium sustinentes: quinquaginta hi lectum meum ambiunt de fortissimis Israel. Inter hos vide aureas Regias, & Imperatoris oculos, septem illos dico eximia quadam luce & claritate fulgentes. Audi nomina per quæ eorum naturam, seruitiorum & officiorum genera discas.

HI prouinciarum pręsides. En meos Cursores, flammasq. ignis ardentis, diurnos atque nocturnos exploratores & nuntios, specularum ve luti incensores assiduos. Vide horum per vices, sublimibus infimisq. locis distincta ministeria, nominibus quæ tu fideliter tibi reserua, respondētia.

QVATVOR isti quos vides quasi radios Solis, auro clarius & argēgento refulgentes, quibus ego aurigantibus celeri impetu volatuq. feror, vehorque super pennas ventorum: hæ sunt meæ Quadrigæ in quatuor orbis partes administratione fungentes, & ab vno quopiam familiæ tuæ successoribus in hanc formam describēdę. Figura erecta ad rationis vsum & officium quod, est solius hominis, accommodata; quatuor porrò facies & quatuor pennæ: omnimoda est aptitudo & celeritas ad nostra iussa in omnes partes nullo negotio capessenda. Humanis cruribus siue pedibus rectis (& vos inferiores artus *Pedes* vocare soletis) planta non humana. nā quod pes hominis facere nō potest: hęc in omnes partes sine conuersione ire potest. idcirco rotunda, firma, solida. nam coeteri calceari solent in veterinario genere. tanta porrò agilitate iter suum conficiunt & nobis obsequūtur: vt scintillare eorum pedes prę celeritate videantur. Nec tamen terrenas vllas sordes in administratione sua contrahunt, sed pure agentes manent ipsi purissimi.

MINISTRANT porrò voluntati meæ in omnes partes, inq. omnes sine conuersatione sui respiciunt, eunt, operantur omnia, cōcorditerq. & vnanimiter, omnia mandata omnibus locis spectant, præstant. Porrò ad omnes partes videndas obeūdasq. omnibus numeris parati sunt. nihil est auersum ab ipsis, omnia exposita, cum in omnes partes vultus eorum respiciant, sintq. illis anteriora omnia. Sunt porrò sic intelligentes vt homines, potentes vt leo, ministerij tolerantes vt bos, celeres vt aquila. Iidemque tamquam erectis capitibus obseruant meum nutum, alasq. & volatum, idest, functiones suas omnes vnanimiter nostræ voluntati permittunt. non enim se vllam in partem nisi laxatis à me quasi currus habenis, vel minimum possunt commouere; ita enim legisti: Qui tenet vultus solij sui, qui iure dominij manum inijcit, prehēdit, ac retinet, nam illo verbo, quædam quasi manu iniecta prehensio & vindicatio continetur.

QVARE sic putandū tibi est, vt ego in alto resideam loco, istas tamen potesta-

potestates, per omnes mundi partes orbisque discurrere; eorum cura, salutem terrenorum omnium & vitam gubernari, hominumq. in primis dicta & facta nobis denuntiari.

EN, inquit, omne meum regnum, duces ac satrapas vbique dispositos, & permixta locis omnibus velut mancipia Regalia, Regnum ergò tuum ita componas oportet, vt vides Aulam meam.

QVOD si multa circa diuina mysteria prohibita & occultata populo fuerunt, idq. ex Dei institutione; est vero Hilarius auctor, & Origenes Rabinorum præcipuos asserere, Moysem non solum Legem in monte à Domino accepisse: sed illius etiam secretiorem enarrationem, Deumq. illi præcipisse, vt Legem quidem populo scriberet, Legis autem occulta mysteria, ministro Iosue, & primoribus deinde sacerdotibus magna silentij religione reuelaret; est autem consentaneum Moysem intellexisse illorum omnium significationem, pluraq. & maiora multo illi reuelasse, quā populo diceret: constat hæc & eiusdem modi pleraque, atque adeo infinita Mosi per manus tradita, ad Dauidem & Salomonem vsque peruenisse.

NAM si aperte pater ipse Salomonis: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, & nostri: Angelicæ potestates fœlicissimæ virginis corpus reuerenter contegebant, cur non Dei ministri PVRPVRA de colore appellentur? cur non Arcanorum indagatores subtiliss., ipsum Hiramum Tyriorum Regem, etiam Abdemonem, qui illius gentis more Parabolis & ænigmatis tum delectarentur: Vates exerceret? & eorumdem etiam nomina Angelorum τοῖ *ARGAMAN* initialibus literis vellet consignare?

ILLVD certè Hebræorum traditione accipisse, prodidit Hieronym. quod dictum est de Semei: Maledixit Dauidi maledictione *NIMRECET* pro quo Vulg. Int. dixit, Pessima, maledicta hæc & probra: *NOEF, MOABI, RASAH, CERVAH, TOHEB*, Adulter, Moabita, Impie, Leprose, Abominande, à scelerato illo iactata in Dauidem, Arcanè cō prehendisse. Nam si quinque horum initiales literas, vt quidem Hebraicè dicuntur, in vnum contrahamus, fit vocabulum *NIMRECET*, quod Arcano sermone consignatū, Spiritus sanctus extare ibi voluit. Eadem verò ratione si ex quatuor Angelorum principum nominibus, primas literas sumseris: fit nomen *ARGAMAN*, quod est Purpura.

ET cum Clementem Alex. lego, in hac sententia confirmatus sum. Nam cum omnis liberalis cognitio, Arcana etiam & occulta maximarū rerum scientia, & disciplina ab Hebreis ad Aegyptios deriuata sit: Qui docentur, inquit, ab Aegyptijs, primum quidem docent Aegyptiarum literarum vim ac rationem, quæ vocatur apta ad scribendas Epistolas ἐπιστολογραφική, Secundam autem Sacerdotalem, qua vtuntur qui de rebus sa

cris scrũibt, Ἱερογραμματῖς, Vltimam autem Sacram quę insculpitur Scripturam; cuius vna quidem est per prima elementa propriè loquens, altera verò symbolicè, idest, persigna significans. Symbolicè autem vna quidem proprie loquitur per imitationem, alia verò scribitur veluti Tropicè, alia verò apertè sumitur Allegoricè per quædam ænigmata, omnes ergò, vt semel dicam, qui de rebus Diuinis tractarunt, tam barbari, quã Græci, rerum quidem principia occultauerunt: veritatem autem ænigmatibus, signisq. ac symbolis & Allegorijs, rursus Metaphoris & quibusdã talibus tropis, modisq. tradiderunt.

EN hic Salomonis Sacerdotalẽ scripturam, loquentem quidẽ proprie per prima elementa; quæ si è quatuor Angelorum principum nominibus quis colligat; vt dixi, cõficiet nomen *ARGAMAN* quod est Purpura, vt Virgo præstãtissima quod Angelorum alis reuerenter tegeretur, Bysso & purpura dicatur esse amicta. Nã si Salomonis pater & Doctor, sanctos Christo in suo regno adhærentes, vocat Vestem atq. Indumentum: Luce enim sicut vestimento dicitur amictus, quia ijs, quibus, Vos estis lux mundi, dictum est, vestietur; & quia Angelorum choros quos condidit in vsum sui decoris assumsit, & velut quandam vestem gloriosam sibi circunduxit: Confessionem & decorem auctore Gregorio, dicitur indutus: quid mirandum est filium Salomonem, eosdem qui lineis induti, qui amicti stolis albis semper inducuntur, qui igneo curru Eliam rapuisse describuntur, quos appellat Dauid Pater, Flammam ignis: cum eosdem, inquam, obuelasse Matrem nostri Redemtoris vellet dicere, neque à quibuslibet intelligi, neq. vero profanis mysteria reuelare, ne essent ista omnibus manifesta; rem de industria obscurasse, *Byssumq. & purpuram* dixisse *illius indumentum*.

19 NOTVS *in portis vir eius cum sederit cum senioribus terræ.*

SIQVIS est in Diuinis Scripturis, hic certè est mea sententia locus illustrissimus. *Cum sederit* inter ciuitatis proceres *Vir eius*, pretiosis vestibus indutus: gaudet digito monstrarier, & dicier hic est. Est vxor marito laudi, est maritus vxori decori & ornamento. Ille in foro clarus, illa verò domi in obscuro esse non potest. Inanis planè oratio, strepitus tantum, sonitus & pompa verborum. nec mirandum sanè tam difficile erui quæ tam altè iacent. *Stragulam*, inquit, *vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius*. Cuius nam verò dicis indumentum? Viri an vxoris? mulieris certè dices. Sibi enim vestes confecisse, sibi purpuram & byssum circundedisse dicitur. Iniqua enim est & indigna coniugij conditio, in quo mulier viro quidquam suppeditat; cum contra potius fieri debeat. neque vlli libero ingenuoq. homini, tollerandus fastus mulieris, marito sibi necessaria

cessaria suppeditantis. Vestes autem multo minus, quod erit dominantis atque exprobrantis. Hæc enim suppeditatio: mulieris erit imperium contra naturam institutum; quæ vero est superior officijs in coniugio: eadem esse vult superior auctoritate. Non ergo *In portis* ex eo *nobilis vir eius*, quod *cum sederit cum senioribus terræ*, indutus quas ipsa confecit, vestes auro ostroque rigentes: Hic, inquiunt, insignis illius feminæ vir. Non enim Salomon *In portis* quod est, Subselijs, inter seniores, in publico consessu ex cultu & ornatu dicit esse *nobilem*.

AT diuina Virgo confecit vestem viro, & a viro habuit vt id posset. Nam multa illa varietas, & vestitus ille aureus, quo est circumamicta, non aliunde contigit quàm sponsi beneficio. neque porrò vir ex ornatu, potius quàm ex admirandis operibus & resurrectione mortuorum *In portis Nobilis*, & clarus, declaratusq. filius Dei.

S. GREGOR. Intellectus sacri colloquij inter Textum & mysterium tanta est libratione pensandus, vt vtriusque partis lance moderata, neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursum torpor in curiæ vacuum relinquat. Multæ quippe eius sententiæ tanta Allegoriarum cõceptione sunt grauidæ: vt quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suam incuriam priuetur. Experiamur iã, quàm id verè Gregorius.

PRIMVM ergò *In portis* illustris *Nobilis* clarus, quòd cum integris & illęsis Virginalis aulæ signaculis prorupit fulgus micantissimum, qui portas non refregerit, qui eas, vti par erit, violare noluerit: se naturæ dominum, nullisq. legibus subiectum ostendit; ostendit planè sę Deum, & Dei esse filium. Rectè itaque de eo *Nobilis in portis vir eius*. Nam vsque adeo diligit portas Sion, super omnia tabernacula Iacob, antra ventris dicit, cuius sub arca clausus est, & portas claustri Virginalis: vt cum eo modo quo ipse solus nouit, princeps Israel ingressus, & egressus, sit per eas: æternùm clausas esse iusserit.

NOBILIS in portis Virginis eximiæ, per quas mors solet introire: Oculus meus, inquit, Propheta, deprędatus est animam meam, de quo alibi. *Nobilis in portis*, cætu Israelitico. Filium Salomonem pater illustrabit: Is enim: Notus in Iudæa Deus, in Israel etiam notum magnum Nomen eius, quod est Filius, Pater, inquit, clarifica nomen tuum, Memetipsum dico. Annuit vero Pater: Clarificaui, in baptismo; dixi enim: Tu es filius meus dilectus, & iterum clarificabo; nam & petræ scindent se, monumentaq. aperient, qui verò ex ijs non alligati institis, aut vincti fascijs sepulcralibus, sed vt fulgura prorumpent, esse Dei filium, Deo esse genitum, planè comprobabũt. Idem ipse: Deus in domibus eius, loco isto, templo quod Nomini eius ædificabit filius meus, Templo inquam, & patria ista

tria istá his inquam domibus eius, cognoscetur, audietur, nusquam igno rabitur esse de tribu Iuda, de domo Dauid, e ciuitate Nazaret, e Bethlem egressus. Nam si in propria venit, quamquam sui eum non receperunt: quasnam alias domos vellet dicere?

IN his ergo suis domibus cognoscetur, cũ suscipiet eã, Carnẽ dicit, eritq. *LEMISGAB* vt Hebr. legimus, Erit in præsidium, tutumq. refugium.

cum morbis pressos sanabit, & omnes
„ *Læsos quotquot ei fident, cæciq. videbunt.*
„ *Incedent claudi, surdis audire licebit;*
„ *Insolitas mutis dabit formare loquelas*
„ *Expellet furias, oppresi morte resurgent*

ab omniq. Iudæa, Hierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis venient vt audiant eum, & sanentur à languoribus suis, & qui vexabuntur à spiritibus immundis curabuntur, omnisq. turba quæret eum tangere, quia virtus de illo exibit & sanabit omnes. Tum ergo cum huiusmodi opera prorsus admiranda exhibebit, mortuis vitam, cæcis visum, claudis ambulandi potestatem, surdis auditum, mutis loquendi facultatem restituet; Imperabit ventis, ambulabit in mari, cæteraque eiusdem generis multa quæ Diuinam prorsus eius naturam ostendent: tum *In portis* Metropolitanæ vrbis templiq. celeberrimis conuentibus (hos Hebræi vocant Portas) cognoscetur.

ET quoniam inclytum hunc Virginis sponsum, *Cum sederit cum senioribus terræ Nobilem* futurum dicit: de eius infantis primo in domum suam ingressu, & celebri illorum senum Hypapante, & disputationibus, quibus se Doctorum cætui præbuit admirandum, locutum esse video Salomonẽ. Tum in domibus eius: Domus, inquit, mea, domus orationis vocabitur, templi, inquam, Hierosolymitani *Portis nobilis* & clarus *vir eius.*

NAM cum profusissimum gaudiũ & carmen Symeonis, Diuinus memoret Scriptor, & Salomon posuerit *NODAH Nobilis*: venio in hãc cogitationem, Deum ingredietem aliquo signo repræsentare voluisse, quod Propheta senex de lumine ad reuelationem gentium, & illius populi gloria asseuerabat. Itaque ipsas lychnorum flammas luce quadam insolita atque syderea, quæ esset admirationi, emicasse; & ignes visos, & amœna lætitia parietes & aureata laquearia resplenduisse; ipsas columnas aureo foliorum fulgore resplendentes, pomifera sobole fœcundas,

„ *Discolor vnde auri per ramos aura refulsit*
„ *Quale solet syluis brumali frigore viscum*
„ *Fronde virere noua quod non sua seminat arbos*
„ *Et croceo fœtu teretes circundare truncos:*

erant enim æneis floribus, frondibusq. vestitæ, & victricis palmæ folijs

inte-

intextæ, flammeos quosdam ignes spirasse; & æris rutilo fulgore in tuentium oculos perstrinxisse; malo grauata verò & ærea crepitacula, parietum deniquefrondentis auri bracteas, clemẽtis auræ motu dulces strepitus & argutum quendam sonum atque tinnitum reddidisse.

IAM multicolores ipsius aditi Cortinas bysso tenui pertextas, nitore quodam crispantes splenduisse, & quasi flabris aurarum spirantium ingredientis Dei signum aliquod dedisse; deniq. illius præsentiam, non Symeonis solam cogitationem, oculos, aures, linguam: sed & omnem tẽpli sensibilem illum apparatum plenissimum maiestatis comprehendisse.

PORRO cælestes virtutes, & Angelicas potestates, per omnes mũdi partes orbisq. diffusas accurrisse, templi vero custodes imprimis ac prę sides canente Sene: Lumen ad reuelationem gentium, illas exaltationes Dei in gutture habuisse: Surge illuminare Hierusalem quia venit lumen tuum; dicenti seni: Et gloriam plebis tuæ Israel, quasi in præcentiuo & succentiuis easdem respondisse: Et gloria Domini super te orta est; purisque vocibus fuisse testatas, adesse summam illam Potestatem sacratam Cœli penetralibus, humilem quidem carne, mundi tamen, omniumq. qui ad complendum mundum nati sunt expectatum Saluatorem.

CVM sederit cum senioribus terræ. Repetendum *Nobilis.* notus, inquam, cum in Symeonis vlnis *sederit*, quiescet, circumferetur, iacebit in mensa cauterio inurendus. tum, inquit, pro Deo agnitus ab Anna, Symeone, multisq. seniorũ, quorum ille ex amplissima vrbe vt sibi occurrerẽt, nouo interessent spectaculo, sanctissimis senibus adessent, spiritũ excitarat.

NOTVS in portis vir eius. Portas Arcana lingua, iudicum Senatum, doctorum hominum consessum, populi frequentiam, & qualescunq. conuentus appellare consueuit. Cum autem Iesus esset annorum duodecim post triduum quæsitum, inuenerunt illum in templo, ait Lucas, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem qui eum audiebant super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt: Non enim ieiuna, incondita, aut puerili oratione, non pedetentim & cunctabundè quasi lubrica aliqua coniectura niteretur; sed ingenio promto & expedito, vt sibi comprehensa, definita, atque percepta copia simul & venustate orationis admiranda, latiùs & splendidius e Prophetis multa disseruisse.

CVMQVE illorum animos teneret puer festiuissimus, fandiq. dulcissimus, cum lingua eius captos, vehementer admiratos, ita sermonibus vsquequaq. amænissimis demulsisse, eaque suggesisse, quibus in legendis, antè illorum animus tædio languisset quam vnum aut alterum reperirent quid esset, quidq. indicaret. Nam & altos nimis & obscuros quęstionum sinus, quasi nota sibi & inuulgata explicasse, & quæ illis, in

Scholis decantata, lectionibusq. ac commentarijs protrita: in his,& quę se scire, intelligereq. putabant, noua sibi ignotaq. offendisse.

SED enim fuisse ex ijs qui quamuis ingenio pueri vegeto, & memoria, orationeq. solerti & incorrupta delectati, cum ea tamen apud illos suos mutos magistros, vnde ille non accepisset, aliter scripta explicataq. legissent: quãquam tractatione rerum maximarum,& auctoritate pueri, & quadam ergà eum reuerentia commoti, vt in cuius vultu diuina quædam planè species eluceret, obstrepuisse tamen molesteque tulisse, vt qui in lectitando, scribendo, commentando, nec dum vllos per ætatem labores cępisset, nullas id genus vigilias vigilasset, neque vllis inter eiusdem artis æmulos certationibus, disputationibusq. gloriam sibi ante quæsiuisset: auderet illa ætate,senioribus quasi ignorata, quæq. illi neque audisse vnquam, neque attigisse viderentur, puer ipsis demonstrare.

AD quos sibi quasi succensentes puerum dixisse: Vnum id volo, inquit, ac peto, vnum hoc mihi respondeatis velim; Vter vobis maior, vter prudentior, & ingeniosior, & à doctrina instructior atque paratior,vobis, inquam,videatur,Ietro ne? an Moses?Moses,inquiunt.Quonam ergo pacto, Iesus ait, consultò adsequi nolle videmini, nec ipsi respicere & deprehendere, idem hoc aduersum Mosem dici posse? Idem vos ab eo posse requirere, quod mihi nũc obijcitis? quod homo sapientissimus à socero, ingenio & doctrina,si cum Mose comparetur,infante penè & puero,tamẽ quod verè & sapienter consuleret,& leges & viuendi instituta libenter accepisse. Cur ergò mihi vera prædicanti etiam si infanti ac puero succensetis? quo responso attonitos & stupefactos conticuisse. In his ergò *Portis notum* inclytæ Virginis sponsum,in medio Doctorum disputantem,qui e Iudaismo ad nos conuersi sunt,relatum esse dicunt in codicem Talmudicum. non dum enim a me locum anxie conquisitum, memini legisse.

CVM sederit cum senioribus terræ auditorum sectatorumq. cœtu atque conuentu, in medio discipulorum, & præcingens se linteo, & eorum pedes lauans, & tremenda illa mysteria,& augustiss. instituens: *Notus* etiã, cum adstante Virgine superbenedicta sæpe ianuis clausis est ingressus.

SED vt sunt diuinarum literarum eloquia fęcundissima & Spiritus ipsius S. sensus,& intellectus multiplices & inuoluti, eum qui mihi videtur omniũ germanissimus,adscribam. Nam quoniam nostrorum morborum vnus sanator ac medicus, verusq. ἀλεξίκακος Alcides noster inuictissimus, descendit ad Inferiores partes terræ, & portas æreas confregit,lucisq. suæ telis ac spiculis tyrannum violentissimum confecit, & capta est Babilon, & confractus malleus vniuersæ terræ

„ *Cùm primum nostri, Cacum videre timentem,*
„ *Turbatumq. oculi. fugit ilicet ocyus Euro*

„ *Spe-*

,, Speluncamq́. petit, pedibus timor addidit alas.
,, At specus & Caci detecta apparuit ingens
,, Regia, & vmbrosæ penitus patuere cauernæ.
,, Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens
,, Infernas reseret sedes, & regna recludat
,, Pallida, Dijs inuisa, superisq́. immane barathrum
,, Cernatur, trepidentq́. immisso lumine Manes.
,, Ergò insperata deprensum in luce repentè
,, Inclusumq́. cauo saxo, atque insueta rudentem,
,, Desuper Alcides telis premit, omniaq́. arma
,, Abstulit, & tenebris incendia vana vomentem
,, Corripit, innodum complexus, & agit inhærens
,, Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
,, Panditur extemplo foribus domus atra reuulsis
,, Abstractæq́. boues, abiurataq́. rapinæ
,, Cælo ostenduntur.

cùmq́. omnes, vt Propheta ait, in lætitia egressi sunt, & in pace ducerentur, montes & colles cātarent pacem, vniuersa ligna regionis manu plauderent, (Angelos & Patriarchas dicit) tum, inquit: Spolians principatus & potestates, soluens compeditos, & illuminans cæcos qui erant in tenebris, & vmbra mortis, abiurataſq́. rapinas quę cellario illo, & apotheca tenebantur cælo restituens: de quibus scriptū sæpe est: Vadam ad portas Inferi, his in primis *Notus in portis vir eius.*

SED quoniam in secundo membro est repetendum, *Nobilis, Notus*, inquam, *Cum sederit cum senioribus terræ*: quis non videt Spiritum sanctum etiam de die nouissimo loqui voluisse: Quid enim apertius? *Cum sederit cū senioribus terræ*: Cum venerit in nubibus cū sanctis millibus, Paterq́. omne iudicium ei dederit, quia filius hominis est, & mittet Angelos suos, & colligēt de Regno eius omnia scādala: tum maximè *Notus*, ait Salomon, *In portis vir eius*; Christus: Cum sederit filius hominis; *In portis*: In sede maiestatis suæ; *Cum senioribus terræ*, Apostolis, summo Iudici assidentibus, qui: *Vitæ senatum laureati possident*, Angelos etiam ipsos iudicaturis, Christus: Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel Paul. An nescitis quia Angelos iudicabimus? tum ergò *Nobilis in portis vir eius.*

IN *Portis*, Cœlorū portas dicit, sicut scriptum est: Obstupescite Cœli super hoc, & portæ eius desolamini. Angelicas potestates appellat, portarum cœli custodes, ac vigiles. Tum enim virtutes Cœlorum mouebuntur, & tuba canente, ex intimis terræ mariſq́. penetralibus, nuda cadauera prorumpent, & qui constitutus est Iudex viuorum & mortuorum, se sistent; tum ergò in comitiorum æstu, & ardore incredibili, in totius orbis

theatro atque conuentu, & quasi Tragœdiæ extremo actu, vbi nullæ valebunt largitiones, prensationes, iudiciorum corruptelæ, aduocatorum defensiones: tum eximius ille Virginis sponsus, *Nobilis in portis vir eius*.

¶ SYNDONEM *fecit & vendidit, cingulum tradidit Cananæo.*

NON solum quę foris donum inferuntur, custodit bona mulier, & cętera conficit opera quæ domi debent administrari: sed linteis, peplisq. cōficiendis auget rem familiarem, & mariti sumtus minuit. Sed quid humiles & inanes prorsus sensus & intellectus consectamur? cum Cinguli ac syndonis huius optimus omnium interpres adsit Isaias: Iste formosus, inquit, in stola sua, gradiēs in multitudine fortitudinis suæ. quod.n. syndone corpus circumtegimus, & Virgo diuinissima, abyssus gratiarum, & gloria luti nostri, filium circundedit corpore & vestiuit extrinsecus, nosq. omnes iustitiæ stola & velo incomparabili sub ficu spoliatos, rursum amiciuit (Beati, ait Propheta, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata) *Cingulum & syndonē*, id est carnē, *Cananęo* dicitur *dedisse*.

ET quamquam ipsemet appellabat eam infirmam, & illius imbecillitati hostes illudebant: Exprobrauerunt inimici tui Domine exprobrauerunt permutationem Christi tui, ita enim dicebant: Nonne hic est filius fabri? &: Mater tua & fratres tui foris expectant te; &: Expectemus an veniat Elias, &: Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce; cum percussum a Deo, totamq. oris & vultus pristinam faciem, imperio quidem dignam, diuinam illam prorsus & plenam maiestatis, in formam indignissimam & ad misericordiam ac lacrhymas omnino permouendas aptam plane cernerent; suasq. illas tot ac tantas virtutes, quæ propè acerbæ, florentes quidem certè, atque adhuc crescentes exaruerant, ad frugem ei perducere, seniumque minime licuisse dicerent: eandem tamen carnem, quod in ea aduersarium fortissimum superauit & deuicit, Robur & fortitudinem propterea appellat Isaias. De quo benè docta Catholica Mater Ecclesia ab hac appellatione non discedit. Ita enim loquitur: Exultabunt montes iucunditatem, & colles iustitiam, quia lux mundi Dominus cum potentia venit. Rursus: Aspiciens à longè ecce video Dei potētiam venientem, & Dauid: Induit Dominus fortitudinem. quam verò fortitudinem dicat, se ipse statim explicauit, cum addit: Et pręcinxit se, hoc enim est Cingulum, & Syndon Salomonis, & Isaiæ: Fæmina circundabit virū.

QVOD igitur hic Stolam, Salomon vocat *Cingulum*, & ita Catholica Mater Ecclesia vsurpat ex Fulgentio: Ille sempiternæ Deitatis maiestate, seruile cinctorium carnis assumens: in huius sęculi campum pugnaturus intrauit. Hoc ergò Cingulum, ait, *traditum* fuisse *Cananęo*. Sciunt enim Hebraicè periti, & pro nobis facit ipse Vulgatus Interpres, *Cananęi* voca-

vocabulum non esse nomen gentis, & dicendum potius, *Mercatori*, sed pro eo dici *Cananæum*, quòd hi maritima occuparent, & vacarent mercaturæ, ita Mercatorum appellatio in illius nomẽ gentis transijt; & in Sophonia: Conticuit omnis populus Canaan, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit, Mercatorum nomen retinendum fuit; quod fecit erudite in Zacharia: Et non erit vltra mercator in domo domini.

OPTIMO ergò illi mercatori, qui suæ quidem vitæ profusissimus, nostræ autem quærendæ studiosissimus absque argento nos redemit: (Ego suscitaui eum in iustitia, & omnes vias eius dirigam. ipse ædificabit ciuitatem meam & captiuitatem meam dimittet non in pretio nec in muneribus dicit Dominus) huic inquam fecit syndonẽ Virgo diuinissima, velamentum, stolam, tinctas illas vestes de Bosra, &, Sicut calcantium in torculari rubrum indumentum, siue quo alio nomine Christi carnem appellare libeat. dixi enim sæpius Synonimia vti Salomonem; neque verò in tanto mysterio alijs atque alijs verbis exprimendo, videri sibi satisfacere posse.

SED nunc scrupulus qui huic interpretationi obesse videtur, eximendus nobis est. Cur enim, *Syndonem* illi *vẽdidisset*, quàm dedisset potius? Hebraicè scientibus expedire facile est. nam quod tanto studio & contentione fecit, Vẽditionem vocat. nihil aliud Arcana lingua eo verbo significante, quam illius ardorem animi, neque quiescere neque respirare cupientis. atque adeo rei alicuius experiundæ ac perficiundæ summam voluntatem, Venditionem vocat Sacra lingua. Elias ad Achab: Inueni, inquit, te eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. Rursus: Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est vt faceret malum. Quid est obsecro Venundari? Quæ partim, inquit, deprecari partem eius cupiditatem compescere debuerat, ne tam dirum seculo proderetur exemplum: concitauit potius, ipsum, & accendit Iezabel vxor sua.

QVANTVM verò, quam ardens fuit istud desiderium? Proijciens se in lectum suum, auertit faciem suam in parietem, & nõ comedit panẽ. Inauditã ipsius sceleris & flagitij cupiditatem animo conceptam, Creditorem, & emtorem vocat, cui se ipsum dixit Sacra lingua, vendidisse.

SED & ipsius Dei vocem audi apud Isaiam: Quis est creditor meus cui vendidi vos? Ego ne istam tantam cupiditatem quæ vos tanquam furijs agitatos quiescere & respirare non sinit, aliquando excitaui? ego ne in prunas istas exsufflaui, quas nunc a vobis accensas esse video? ego morti tradidi vos? & quantam illius auctori tanquam domino, parendi cupiditatem ostenditis, vlla mea sæuitia & inclementia irritaui? nominate creditorem, proferte syngrafas, producite testes emtionis, venditionis? pactam, datam, numeratam pecuniam si potestis indicate. Ecce iniquita-

tibus veſtris venditi eſtis. propria, ingenitaq. malitia, ſuadente & incitante libidine, a vobis res acta tranſacta eſt; quaſi diro aliquo numine immiſſo, æſtu & rabie veſtra inſtigati & obducti proruiſtis, & tyranni iugo ceruices veſtras lubentes ſubdidiſtis.

QVOD ergò hic in malo poſitum eſt: ſic quod *Syndonem vendidiſſe* dicitur, ad ipſius Virginis ardentiſsimum ſtudium referendum eſt, quod antea CHEFES Manuum deſiderium & cõſilium dictum eſt. Mercatori ergò quærenti bonas Margaritas, qui cũ gratis venundati eſſemus, abſq. argento nos redemit, huic inquam *Cingulum tradidit*, ſiue quod alibi ait, idemq. eſt, Diadema in die deſponſationis ſuæ, cum illum carne circundedit: Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. In filio, inquit, meo te mihi ſponſabo, qui factus eſt nobis iuſtitia & miſericordia; Ita enim intelligendum docet Paul. Deſpondi vos vni viro. Vir Chriſtus eſt, quia homo Deus. Ita interpretatur Paulus: Virginem caſtam exhibere Chriſto. Ita etiam Hebræorum vetuſtiſsimi ad illud Ierem. Eijciam vos de terra hac in terram quã ignoratis vos & patres veſtri, & ſeruietis ibi Dijs alienis die ac nocte, eo quod non dabo vobis CHANINAH Miſericordiam, & ita LXX. ἔλεος. Quia vnuſquiſq. inquit, ambulat poſt prauitatem cordis ſui: non dabo vobis Chriſtum. Vnum enim de eius nominibus eſſe CHANINAH, qui & RACHAMIM, legimus in Sanhedrin, alterum enim eſt alterius interpretatio; & expreſsit Abakuk: Cum iratus fueris recordaberis RECHEM Miſericordiæ, ſeminis inquam Abrahæ promiſi, in quo dicebas benedicendas omnes gentes. Apertè enim explicat de eo ſe loquutum; Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Meſsia tuo. Idcirco miſericordiæ nomen ſiue RECHEM, magno myſterio, eſt Abrahæ Symbolum, & ſi quis ſupputet: eũdem reperiet in vtroq. nomine literarum numerum, nempe 248.

ET quidem ſi attente conſideremus: idem variatis verbis atque ſententijs repetere videtur. *Syndonem* dicit *& Cingulum*, anteà Lanam & linũ. vtrumque ad natiuitatem carnis conſtat referendum. prius Nauem mercatoris, nunc Mercatorem ipſum nominauit. Dixerat de Agro, de Pane illo diurno, lucerna atque vigilijs, cruce, ſepultura, vberrimoq. fructu; nunc eadem occultè comprehendit. Chriſti Regnum ager eſt, vbi theſaurum ille abſcondit, quem qui inuenit: vadit & vendidit omnia quæ habet; & CHEFES, quod Conſilium manuum dictum eſt: etiam eſt Hebręis pretioſa Margarita, ſine qua agrum illum emere non poſsis. Surgere de nocte, lumboſq. robore, fortitudine verò brachia præcingere: nil eſt aliud, quàm vniuerſa ſua vẽdere & agrum illum emere. Quid porrò? Lucernam nocte non extingui, quàm non timere, quin ridere potius in die iræ,

cala-

calamitatis & miserię? Speculari semitas domus suæ, æternę, inquam, domus, hic enim non habemus quæ nostra dici posſit; Ad fortia manũ mittere, est Regnum Cœlorum violentiam illam pati; vt constet Vatem eximium in Parabolarum ęnigmate & obscuritate, maximarum rerum mysteria occultare voluisse.

16 *FORTITVDO & decor indumentum eius, nõ timebit in die nouiſsimo.*

SCRIPTVRAE consuetudine dictum est, vt in summo mærore & ægritudine apud Hieremiam: Indui quis absynthio & felle; & de eo quem quis optat execrationibus deuotum, miserijsq. cõsumtum: Maledictio ei fieri sicut vestimentum quo operitur, & sicut Zona qua semper præcingitur; qui iustitię & fidei sit obseruantiſsimus: iustitiam ei esse pro Cingulo lumborum, & fidem pro renum cinctorio; sic quæ mulier strenuè se gerit, & virili potius quam muliebri animo prædita est: eius indumentum Robur esse & fortitudo.

ET quoniam eadem est filij & matris Caro, ea vero ascendente Christo, & æterni Patris recepta consessu, apparuit gloriosiſsima, ita enim vt sæpe dixi, canit Ecclesia: Omnis pulchritudo Domini exaltata est supra sydera, &: Species eius in nubibus Cœli: quod hic est de Roboris & fortitudinis siue speciei indumento, variatis verbis atque sententijs, idem quod antea existimo dici voluisse: Syndonem & Cingulum, Carnem, inquã, de disse filio, viciſsim vero *Robur & fortitudo eius indumentum*, est ipsa eadem filij carne vestita, est illius cruce & sanguine redemta, quã verum Robur & fortitudinem fuisse, audi Athanas. Quid? an non mirũ qui quasi homo ad mortem descẽdebat, Sophorũ grandiloquentiã de Idolis ociosam irritamque efficere potuisse? cuius vnquã mors abegit dæmones? aut cuius nunquam crucem dæmones expauerunt vt Christi? vbi enim nominatur nomen Saluatoris: inde omnes dæmones fugantur. Quis ita hominibus sordidos affectus ex præcordijs excusſit, vt scorta pudicè agerent? & homicidæ, vt non amplius ferrum tenerent? pauidi animo robur conciperent? quis barbaros, gentesque alias in suis sedibus persuasit immanitatẽ dimittere? pacifica meditari? nisi Christi fides & crucis signaculum? quis denique alius ita mortales certos confirmatosq. reddidit de immortalitate, vt Christi crux? eiusq. corporis resurrectio? hoc, inquit, Cingulum & Syndon, est ipsum illud *Robur* & eximia pulchritudo, quę exaltata est supra sydera, hæc ipsa sunt Coccinea, quibus etiam est induta Virgo innocentiſsima.

ET quoniam homines natura sunt ad rem attentiores, facilesq. sunt in emendo & vendendo, fallendi fraudandiq. occasiones, ita enim scriptum est: Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter

medium emtionis & venditionis angustiabitur peccatis, & Virgo incomparabilis syndonem vendidit, ita porrò Aedilitio edicto cautũ est: Si quid post venditionem, traditionemq. deterius opera emtoris factum erit, siue quid ex eo post venditionem natum adquisitum fuerit, & si quid ei in vẽditione accesserit, siue quis ex ea re fructus ad emtorem peruenerit: vt ea omnia venditori restituat; tum si quas accessiones ipse præstiterit: & recipiat: quoniam ex venditione hac uberrimus ille fructus ad emtorem peruenit, qui dictus est ab Isaia: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum, exinde longe fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida; &: Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum: Videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te fortitudo maris; Rursus: Fundabo te in Sapphiris, & ponã Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos; & quæ caro antea morbus tota erat, postea *Robur* ipsum *& fortitudo*, species, pulchritudo, eximius decor, & virtus atque potentia facta est: ea, inquit, omnia bona, quidquid post syndonis huius venditionem, traditioneq. natum adquisitum est, emptor ædilitio iure venditori restituit, quasq. accessiones emtor præstitit, eas omnes recipit Virgo. nam idem *Robur & fortitudo indumentum eius est.* non enim sine specie & decore leprosam & morbosam carnem, quasi redhibitione teneretur recipit Virgo: sed gloriosam, splendentem, immortalem, auro ostroque refulgentem. Hic est enim vestitus ille deauratus, quo circũamicta & circundata varietate assistit filio. Et quamquam in ea fuit immitabilis castitas, singularis pudicitia, incõparabilis innocentia, omniumque virtutũ fons, & gratiarum quoddã pelagus seu potius abyssus: magnas tamen deinceps, & eximias atque innumerabiles accessiones emptor ipsi prestitit.

AT morbosum viciosumue esse, impedit venditionem, & morbus ipse locum dat redhibitioni: Cur ergò neq. emtori iudicium datum est? neq. vendens ipsa redhibitione tenetur? quoniam id neque dolo malo factum est, neque fallendi, fraudendiq. vlla occasio quesita; neque id calliditate vendentis, neque emtoris ignorantia factum est. nam quę Aediles præstare iubent, ea omnia notata habuit emtor; & carnis vitium, morbusue intellectus, nec emptor deceptus est, nec venditoris intererat cur emptor falleretur. Cumque certiores fiunt emtores quid morbi, vitijue est, eaque omnia palam ac rectè pronuntiantur: neque emtori iuditium datur, neq. porrò venditor redhibitione tenetur.

EA verò notata habuisse emtorem: constat ex Arcanis ac mysticis Hebreorum interpretationibus: Fiat lux, inquit R. Moses Hadarsan, & facta est lux; hæc lux est Regis Christi, de qua est apud Dauidem: In lumine tuo videbimus lumen. Docet enim Propheta eximius, texisse & abscondisse

disse Deum Christum, & futuram eius sobolem ac posteritatem sub throno gloriæ suæ, semen, inquam, illud lōgæuum, quod visurū se dixit Isaias, si poneret pro peccato animam suam. Prodijt tum Satan coram Domino, & ait: Domine seculorum lumen istud throno tuo conditum, cui nā possidendum est? Respondit Deus, Christo & generationi suæ. Commotus Satan ait: Permitte quæso, eiq. me opponam (atque hoc, ego quidem existimo, esse illud Euāgelicum nullibi vsquam proditum; Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum) Ait verò Dominus, nihil poteris cōtra eum. Permitte, inquit, & potero. Cui Deus: Si ita tādem apud te constituis: euellam te è mundo & omnino perdam, potius quam vel vnum ex illius posteris patiar perire. Tum ad Messiam conuersus, mi Messia, inquit, iusti isti qui conditi sunt apud te, in magnas aliquando vitæ molestias & acerbitates te conijcient; nam oculi tui velabuntur, vt non videāt lucem; aures omnis generis maledicta & probra haurient; nasus tetrum odorem, os ipsum fel gustabit amarissimum; lingua palato carnibus assumptis, pellis tua ac cutis vix ossibus hærebit, totum deniq. corpus præ cura, luctu & gemitu, macie tenuabitur; placet ne hæc istorum causa perpeti? Admiseris, rectè id quidem; sin minus: iam nunc abigo, & pello eos a me. Respondit Messias, quin potius de eo lætus sum libensq. suscipio, ea tantum lege, vt mortuos quoscūq. ab Adam ad id vsque tempus, quoscumq. præterea deinceps creare constituisti, ad vitam reuoces ac suscites; Concedo, inquit, Deus. protinus lubens omnia in se tormenta suscipit. En illud Petri: Sciētes quod non corruptibili auro vel argento redempti estis, sed precioso sanguine Christi, quasi agni immaculati & incōtaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, vt ait Isaias: Oblatus est quia ipse voluit, vel vt Hebraicè legimus: Arctatus, vel Angariatus est, & quidem summo affectu.

ET quamquam ob inuictum robur, & eximiam Angelorum pulchritudinem circuntegentium corpus diuinissimum, cum a filio assumeretur, *Indumentum illius fortitudo & decor* dici possit, quis enim hominum ignorat Demiurgi Archangelum, multis sui ordinis collegis imperantē ac pręsidem, gerendorum bellorum præpositum? quis illius robur inuictum? quis illorum pennas? id est, sublimes & excelsas cœlestis naturæ vires: Potentes, inquit, virtute, facientes verbum illius ad audiēdam vocem sermonem eius, affuerūt enim Dominæ ac Reginæ omnes, vti par erat, cœlestes potestates: tamen hunc ipsum quem diximus, esse germanum sensum & intellectum, euincunt quæ sequuntur: *Ridebit in die nouissimo.* Ita munita & exornata vndiq., hoc filij robore & decore cōspicitur, a dextris filij assistens in eadem carne gloriosa: vt nullas tempestates, non famis, aut pestis tempora, non cęteras calamitates, qualescunq. incidant, non ipsam nimis

nimis curet mortem aut senectutem, nil horum vereatur aut reformidet. satis sibi videtur vel aduersus mortem septa, tuta atque munita: *Ridebit* ergò *in die nouissimo*. Cur enim non rideret, quæ quam gestauit in vlnis, & clausit arca ventris capacissima, eadem luce & claritate sit circumfusa? quæ quidem illam quasi Solem quendam alterum, aut certè quasi tabernaculum Soli positum ac locatum, reddat omnibus maximè insignẽ atq. conspicuam, nobis sui cultoribus augustam se & venerandam exhibeat, hostibus ac inimicis, ipsis inquam Inferorum potestatibus vsq. adeò formidabilem & inuictam: vt non magis ei noceri posit, quam vulgò alioqui noceri solet castris ipsis, bene vndiq. ac diligenter vallatis & munitis.

CVM ergo Dominus iudiciũ sederit, & throni positi sint, & libri aperientur, & Gehẽna parata impijs, quę vt clibanus euomet scintillas ignis, *Ridebit*, inquit, *in die nouissimo*; neque ab igne, inquit, timebit, neq. a frigoribus niuis. *Ridere* enim dictum est, vt de Leuiatan: In collo eius morabitur fortitudo, & ante eum lætabitur dolor; Ita enim in Hebraicis codicibus legimus, quod habet Editio Latina: Faciẽ eius præcedit egestas. quod a LXX haustum est, qui, *TARVS*, quod est τρέχει Currit, siue Præcedit, non *TADVS*. Lętabitur videntur legisse, Ergò: Ante ipsum lætabitur dolor, nihil est aliud, quam Cetum conspicientibus, hoc vnum solatio est, quòd transit in stuporem metus, non vacat timere intuentibus. ne dolor quidem habet locum. Eleganterq. Hieronymus, Præcedit; hoc enim est τρέχει, Currit, lætatur quasi cursu euaserit, nec vacat, inquit, viso Ceto timere, neque dolere, transeunte in stuporem metu. Sudent alij licet, & inuita Minerua maiores centones conficiant, quàm sint (vt ille ait) duo Cæsaris Anticatones, hęc est germana & gemina huius loci sententia. est enim Poetica hyperbole, vt illa de Elephãto: Absorbebit fluuium, confidit quod influat Iordanis in os eius; vt nostri de Balena:

„ *Cum vento motuue suo telluris ad oras*
„ *Pellitur: inclusum fundit mare, magnaq. surgunt*
„ *Aequora, viciniq. timent decrescere montes*

vt ergò ante Cetum lętari dicitur dolor, quia nõ vacat timere: sic Virgo sacrosancta, quia *in die nouissimo*, transeunte in lætitiam, risumque timore, nec sibi nec domesticis suis vacabit timere: dicitur *Ridere*.

NAM quæ ijsdem vestita est Coccineis, quibus cum Christum carne circundedit, suos ipsa domesticos vestiuit, ex qua ad omnes vera vita manauit, cuius nomen tenebrarum principibus est adeò pertimescendum: vt in quorum animas semel inuolarint, quas vnguibus prædas & rapinas egerint, vel eius nomine implorato, non aliter dimittant, quã miluinis & Aquilinis vngulis, strepitu miseram prædã excidere videmus: cur illa nõ *Rideret in die nouissimo?* quo modo diem iræ, calamitatis, & miseriæ, aut

homi-

homicidę illius, ac sui interfectoris, criminationes pertimesceret?

17 ℣ *OS SVVM aperuit in sapientia, & lex clementiæ in labijs suis.*

QVAE tantis & tam veris laudibus abundat, vtrum existimemus facilitatem illi minus defuisse, an humanitatem, an etiam sermonis suauitatē? non faciles ad eam aditus fuisse? non se humanissimam præbuisse? Nā cum oris maiestate, dignitate, virtute feminas omnes superasset, humanitate ne ab infima quidē vlla superaretur, comitate certe sermonis, suauitateque verborum, reliquas virtutes quasi condiebat, vt non feminā aliquam viderentur conuenisse, qui illam adibant, sed planè quandam propitiam atque beneficentissimam hominibus Deam.

INERAT etiam in illa, comitati adiūcta semper grauitas quædam Regia, quæ quidquid ageret, quidquid diceret, ad dignitatem componebat, admiscebat leuioribus etiam in rebus illud quod feminis maximè conuenit decorum; non denique *Os suum aperiebat* vnquam, nisi *In sapientia;* hæc omnia ab vno sapientiæ fonte quasi riui manabant, quæ sic in illa scaturiebat: vt nunquam exaresceret; sic fluebat: vt in omnes partes diffunderetur, hoc enim est a Salomone positum *Aperiendi* verbum.

ET lex clementiæ in labijs suis. Nemo, inquit, fuit qui si modo illam videret matrem nostri Redētoris (nam ob certitudinem de futuris loquitur, quasi præterijssent) quin iuraret, nihil se illa femina sanctius, nihil humanius, nihil denique maius aut admirabilius vnquam vidisse, nihil orbem terrarum aut habere, aut habiturum vnquam fuisse. Nam cum esset corporis proceritate atque habitu, orisq. pulchritudine, & oculorum totiusq. vultus mira quadam & eximia venustate, atq. mansuetudine longè amabilis, quanquam moriente filio, & post ascensum, deflorescere decor ille formæ eximius, atque exarescere hilaritas, non tam quidem annis expulsa, quam etiam fracta laboribus atque curis de filio obruta, inciperet: ita tamen suauiter, ita prudenter, ita blādè loquebatur, ita purum recti animi sensum, atque omnibus bonis moribus & gratijs excultam mentem, sic sancta eius verba sapere atq. olere, spiritus & voces ipsius videbātur: vt ipsa *lex clementię* in labijs suis sciscitauisse, hæsisse videretur; vt is lapideus planè esset, qui cum præcellenti virgine sessiunculam, omnium mulierū delitijs voluptatibusq. non præferret; & qui eam semel salutauissent, aspectu eius, suauissimisq. & grauissimis sermonibus mirum in modum delectati: ijs maximas gratias agerent, qui auctores vt omnium virtutum exemplar conspicerent, sic enim appellabant, extitissent.

ELOQVENTIAM ergo Virginis, & suauitatem sermonis, quam illa parcè ac religiosè ita exercebat: vt tacens sæpè loqui, silens persuadere, quæq; ipsa cogitaret, sentiret, quæ optaret, quæ timeret, in aliorum

mentes atque animos ita trāsferre videretur, vt impressa; non tradita, innata non insita; propria, non aliena viderentur: *Clementiæ legem* Salomon appellat, quod nunquam illa acrem, acerbam, iracundam, contentionis aut odij plenam orationem adhiberet; sed pacatam, sedatam, grauem & seueram hilarem verò interdum, & vel dulcem, vel respersam salibus, nunquam; sed verecundam semper, & venustam, simplicē semper, non commotam, nudam & ipsa quasi negligentia gratiorem; quamq. verè Regiam atq. diuinam, potius quam humanam possis ducere.

RECTE ergò *Lex clementiæ in labijs suis*, quod si cuius vnquam oratio lenis, suauis, blanda, si cuius item grauis, seuera, prudens, nullum verbum temerè proferens, denique si eloquens, si facunda vnquam fuit: ea profectò maximę huius & innocentissimę Virginis fuit; ea propè una omnium Oratorum omnem vim, omnes illecebras, suauitates, omnes, vt ita dicam, diuitias est consecuta. Atque ij quidem, qui eam audierunt, ipsi sæpe discipuli, eius uerba atque uoces auribus hauserunt: sæpe admirati sunt, eorumque successores scriptis prodiderunt. Sed quoniam nullus unquam hominum aut Angelorum, sapientiori oratione usus est, quàm cum illa respōso diuinissimo omne illud Aeterni Patris bonū, summas Cœli, terræq. diuitias, Dei sapientiam cœlo usq. eduxit: de eo arbitror dictum, ab eximio Salomone: *Os suum aperuit in sapientia.*

NAM cum a prima uigilia ad medium ipsius noctis silentium, ueteres ac futuras replicantem historias, plura quę antea sibi audita non fuissent, ordine disserentem Gabrielem audiuisset, multa etiam fuisset percontata, multa necessaria docuisset, tum Michaelis prælium, & sociorum pugnas cæterorum, suam vti existimabant, indignitatem, & hominum celsitudinem indignissimè ferentium, horum denique casus & ruinas, illorū sine sanguine uictorias porrò eam, quæ hominum & Angelorum Domina, æterno ex decreto olim fuisset constituta, iam nunc ipsius Dei fore matrem sine viro, nisi votum illud Abrahę promissum vanum esse velit, sed tot Patriarcharum votis, ac diuinę imprimis voluntati morem gerendum esse duxerit; Tuusq., ait, ò Virgo prudentissima Deiq. filius Vnigenitus quamquam ortu suo maximam vrbem turbaturus, & qui homo sit, parq. ipse patri & naturæ & potestate Deus, ab externis Regibus in tuis vlnis adorandus, neque corporibus modo, sed animis potius pacē & salutem redditurus: Auferet enim bella, arcum conteret, & confringet arma, omnesq. qui adorant sculptilia pudefient: tamen quòd hominum assertorē & vindicem fore se receperit, patriq. vadem de eo constituerit: in Metropolitana vrbe, meridiano tēpore, in tuis ò Regina, totiusq. mūdi oculis, atrocissimo spectaculo aliquando moriturus. Tu verò Virgo felicissima vultu & habitu mæstissimo, tolerantia vero omne humani pectoris ro-

bur

bur separante, astabis morienti. Percursa denique Euangelica historia vniuersa, gentium salute, ceterisq. patefactis maximis mysterijs: hæc, inquit, omnia Virgo prudentissima ad suum tempus reseruabis, teq. instar aliorum qui prorsus ignorabunt, pro ignorante geres. Nunc verò quando ad id missus sum, vt tibi Aeterni Patris voluntatem denunciarem: tuũ est Regina respondere, quæ tanto, tam inusitato ergà genus hominũ Dei beneficio, quæ prudentia tua, quæ nostra omniumq. expectatione digna sint. Tum ergò Fauus distillans labia sua, mel & lac sub lingua sua, *Aperuit*, inquit Salomon *os suum in sapientia, & lex clementiæ in labijs suis*, cumq. Virgo diuinissima, vt vero est simillimum carmen cecinisset, sensit enim in vtero Deum carne circundatum, humique prouoluta illum adorauit, omnesque Angelicæ potestates ad Reginæ & Dominæ pedes acciderunt, tum inquam chori illi innumerabiles, quibus a Deo mittente iussum est, vt per vnum Gabrielem, ederent amplissimum & capacissimum hymnum, vt in præcentiuo & succentiuis, diuinum & inexplicabile, quis enim aliter credat? melos cecinerunt. Hoc ergo dicit Salomon: *Os suum in sapientia aperuisse*.

NEQVE quidquam obest, quo minus alios sensus & intellectus cõsectemur, ac de extremo iudicio dictum sit, *Lex clementię fuisse in labijs suis*. Apertè enim prçcesserat: Ridebit in die nouissimo. vt qualis iste risus futurus tandem sit, ita explicauerit: *Lex clementię in labijs suis*. propitio, inquit, & sereno vultu ad eos se conuertet, benignè & clementer ijs patrocinari conabitur, qui in nouissimo die, Vultum suum deprecabuntur; quod prius Salomon vocauerit *Ridere*: Filiæ, inquit, Tyri vultum tuum deprecabuntur. & nos, hæ filiæ sumus in valle lachrymarum; Tyrus enim, quod est *SOR*, significat Angustiam, luctum, miseriam, ægritudinem.

27. CONSIDERAVIT *semitas domus suę & panẽ ociosa non comedit.*

SEIPSAM, inquit, inclyta Virago circumspexit, totamque tentauit, & quanta haberet ad agrum hunc colendum adiumenta intellexit; non ergò panem otiosè comedit, aut pigrè rem tractauit. Nihil temporis sine negotio esse, nihil cum filio, nisi de hominum salute dies noctesque conferre, cogitare; virum denique ita agere cum abesset vir: vt neque virum, neque fęminam desiderares; fæminam autem cum adesset, ita præstare: vt tamen illam diceres, velle se minorem quam esset videri. quæ cum illa præstat, quæ tamen ipsi omnia contigerunt Viri beneficio: *Panem otiosa non comedit*. Cibus enim meus, dicebat eius, filius est facere voluntatem patris mei. Immaculatam ergò se custodiens ab hoc sæculo, cum se totam innocentię, religioni, pietati, precibus dedisset: *Panem ociosa non comedit*, eiusmodi tulit pietatis fructus, vt digna Deo sedes

& Spiritus Sancti sacrarium eorundem suffragio iudicata sit.

NAM cum excelleret prophetiæ spiritu, vacaret Scripturis, tractaret Sacros Codices, cum Angelis loqueretur, totaque Diuinarum rerum desiderio accensa, frequẽter in atria Domini suspiraret: sibi ipsi in dies maior celsiorq. fiebat: *Panem ociosa non comedit.*

IAM suscepto baptismo, cæterisq. Ecclesiæ sacramentis, cum in eam se, Spiritus ipse S. largius infudisset, tantæ ad illius merita, & quotidianę quidem illæ, fiebant accessiones: vt imitata agros fertiles, qui ea quæ commiseris, maiore mensura reddunt quam acceperint, *Panem ociosa non comederit*, sed omnibus actionibus & celebritatibus Euangelicis non solũ interesset: sed etiam rectrix & magistra Apostolorum præesset cætui sanctorum, eamq. in omnium animis sui admirationem excitaret: vt tanquam prodigium quoddam, & nouum naturæ miraculum ab omnibus religiosè culta sit. Eius ergò vigilias, preces, humicubationes, virtutes planè incomparabiles, studia, occupationes, totiusq. vitæ cursum tenoremq. considerans: merito, *Panem*, ait, *ociosa non comedit.*

IAM cum in Agno, pane inquam vitæ comedendo, preceptum sit a Mose: Renes vestros accingetis. vnde Dauid, Vre renes meos: Accinxit illa robore lumbos suos, & confortauit brachia sua, nullis vnquam desiderijs corporis succubuit. Et illi quidem tenebant baculos in manibus, & mascula Virago quæ panem otiosa non debuit comedere: Digiti eius apprehenderunt *PALEC*, quod Fusum, Baculum, & Scipionem dici potest. Moses: Comedetis, inquit, festinantes; mandata Dei dicit, mysteria Redemtionis, cælestis patriæ gaudia, *Semitas* inquam æternæ *Domus suæ*, sine cunctatione cognouit, vitæque præcepta cum festinatione impleuit.

PANEM ociosa non comedit. Anhelabat quidem ad conuiuium illud pinguium, medullatorum, solennes illas epulas vindemiæ defecatæ, vbi vinum illud biberet, quod in domo patris sui, filius & sponsus bibiturum se dicebat, non torpebat igitur pigritia, aut nectebat vllas moras, cæptum iter insistebat; iuuabat enim ipsam dilectus quẽ amabat, quique manum suam miserat per foramen. *Considerauit semitas domus suę*, Ab hoc seculo ad Deum mente tota & animo transiuit. Seruusq. ille Hebræus cũ sex annis seruiuisset: in septimo fit liber; & illa seruã & ancillam se Deo mãcipauit, *Considerauit semitas domus suæ*, ad cælestem patriam animo conuersa: immaculatam se, vt Apostolus ait, custodijt, transijt, auolauit ab hoc seculo, & *HEBREVS* quidem dicitur à transeundo. Sexque annis seruijt Actiuæ, inquit, vitæ munus impleuit perfectissimè. (id enim Senarius) vt septimo in libertatem se contemplationis vindicaret, atque hoc est: *Panem ociosa non comedit*, Cursum consumauit, fidemq. seruauit,

quod

quod illud est serui: Cum quali veste intrauit, cum tali exibit. Eadem, inquit, contentione animi, & corporis cæptam viam institit, ad finem perdurauit; Mane seminauit semen suũ, & vesperi non quieuit manus sua; *Considerans* enim *semitas domus suę*: Dedit panem septem, quod ait Scriptura. Animę non carni, non mundo sed spiritui; Septem vitæ huic, Septem dum hic viueret; Dies annorum nostrorũ in ipsis septuaginta anni; Atq. etiam octo, Ei quæ nos post hanc vitam, exceptura vita est. Coluit illum agrum qui maiore mensura reddit quam acceperit. Rectè hic Hebræi: Laboraui & non inueni, noli credere; inueni, & non laboraui, ne credas; Laboraui & inueni, credas.

ITAQVE ascendente Filio, & Aeterni Patris gaudente consessu, cũ cõsideraret, Specularetur, *SOFIIAH*, Prophetiæ spiritu videret, subinde animo pręciperet, *Semitas illius domus suæ*, & Ascensiones in corde suo disponeret, essentq. illi lachrymæ panes die ac nocte, dum dicitur sibi quotidie: Vbi est Deus tuus, intelligens: Ascensuram coram Deo lachrymã a maxilla viduę, vidensque haud diu hic sibi fore permanendum: quasi ex specula erecto capite, *SOFIIAH* Circumspectabat *Semitas*, longissimum illud iter breui sibi conficiendum, neq. *Panem ociosa non comedebat*: sed etiam illam domum quasi purgabat, nobis complanabat, ita enim Ecclesia:

„ *Vitam præsta puram*
„ *Iter para tutum.*

19. *SVRREXERVNT filij & beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.*

VTINAM tanto titulo nos dignos præbeamus, tam piæ, indulgẽtis & amantis Matris nos filios demonstremus. Omnes, inquit, non iam serui, sed filij & hæredes; olim immortalitatis gradu deiecti & deturbati, deque tenebris & vmbra mortis, ab ea quasi manu prehẽsa erecti & subleuati, in spem salutis surrexerunt. Non exules illius, sed nouæ Euæ *Filij* viuentes ea vita quæ melior, quæ verior vita est, nouæ prolis creatio, *Filij* uocatione, adoptione, aditione hęreditatis, cuius Dominus pars est, quam nobis ipsemet benignissimè restituit.

FILII, quicumq. hanc vitæ rationem omni tempore secuti, vt mundum & mundi commoda præ cælestibus commodis contemserint, summumq. in ipso Deo præmium sibi constituerint, *Surrexerunt filij* Virginis, quicumq. per fidem filij eius cum Deo coniuncti, bona & blandicias mũdi neglexerunt: *beatissimam prædicauerunt*; seq. ipsos tali matre agnouerũt felicissimos. hi enim vera proles, bonæ huius Matris veri *Filij*.

QVOMODO enim qui Christo non consentiant, terreni homines carniq.

carniq. dediti, aut *Filij* appellarentur, aut tantę matris laudes prædicarent? *Filij* ergò, quos illa doctrix & magistra, quasi de manu in manum parenti Deo per filium tradidit in filios, fratres cohæredes Regni adoptandos, adsciscendos.

NVM enim carnis impliciti illecebris, pigrantes commouere se, & ex terrenis sordib. extollere, atque eijcere, quæ illis consuetudine factæ sunt perquamsuaues, mundani homines nimirum, nilque nisi terrenum & carneum meditantes, eam iuste ac ritè celebrarint? quæ nullo vnquam lapsu, nulla cogitatione aliquando, aliquoq. deflexu ad carnem & carnis desideria protracta est? quam nulla vnquam animi affectio, nullus cupiditatum motus perturbauit? nihil mortale ac terrenum appetiuit? nusquam ad curam & cogitationem sui inclinauit? nihil sua causa omnino voluit? nullis mundi illecebris exhilarata fuit? degeneres agnoscet mater filios? aut ij se ad eam pro dignitate celebrandam compararent?

REPVGNAT nouæ Euę, isthæc planè Filiorum appellatio plerorumq. nostrorum incredibilis ambitio, obsistit auaritia, aduersatur voluptas, & qui est Angelus Satanæ violentiss., liuor & maleuolētia gloriosi huius nominis vim, Filiorumq. appellationem corrumpit.

SED illi quidem *Filij*, quos ab ignorantiæ tenebris ad veritatis lucem responso diuinissimo traduxit, quorum illa accendit omne extinctum lumen, omnem aciem spiritus hebetatam quasi exacuit, & quo itinere in Cœlum perueniendum sit, *Cum adhuc esset nox*, diurni syderis immisso quasi lumine nobis demonstrauit, qui per eius filium, nostrumq. omniū Redemtorem viam patefactam, monstratam, munitam, complanatam ingressi sunt, terrenisq. affectibus mundo Crucifixi, nihil nisi cælestia & alta cogitantes: hi inquam veri *Filij surrexerunt*, & tanto titulo gloriosi, ad eamq. cōuersi, *Beatissimam prędicauerunt*, quibus possunt laudibus vt ab Ecclesia quidem didicere, celebrarunt. Ecclesia: Videntes eam filiæ Sion, beatiss. prædicauerunt, dicentes: Oleum effusum nomen tuum, etiam Vir eius, conditor Redemptor & spōsus, *Laudauit eam.* Quibus nam vero laudibus est illā prosecutus? etenim audire: operæ non est exiguū pretium.

29. *MVLTAE filię congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

MVLTAS sæpè feminas vidi, audiui etiam esse plures, quæ certarum omnino virtutum, optimarum quidem illarum atq. clarissimarum, sed tamen perpaucarum splendore illustrarentur; in qua verò omnes collectæ, coniunctæq. virtutes conspicerentur: tu vna exstitisti. tu vna inuenta es, ò Virgo excellentissima, *Supergressa es vniuersas*, Cuius omnino parem atq. similem aut etiam inferiorem paulò, non modo non vidi vllā, sed ea vbi esset etiam, aut aliquando vnquam exstitisset, ne audiui quidē.

Multa

Multę filiæ cong. diu. Communicanda est cœterarum feminarum laus cum multis rebus, & eius portio sæpe quidem permagna, semper autem aliqua illis danda: at verò *Tu supergressa es vniuersas.* Cõgregent illę diuitias quantas velint cumque, à te habent vt posśint, in qua sunt diuitiæ quæ cõsumi nequeũt. *Tu supergressa es vniuersas*: Vtinam dominã pedissequę, præeuntem heram (ita enim legimus: Adducentur Regi virgines post eam) vel lõgisśimis spatijs Ancillæ consequantur: Multæ strenuè se gesserunt, virtutis exemplo alijs præluxerunt: *Tu* verò *supergressa es vniuersas.*

NAM vt vnum aliquid ex multis, seu innumerabilibus potius attingam, quanti illud faciendum est? nihil vnquam fuisse collocutam, non modo apud virum, sed nec apud parentes quidem, de illa omnipotentis Dei in se tam profusa, tam insigni benignitate!

NAM quod in reliquis feminis summum laudis genus est, fuisse semper virginem: id sanè in te pulchrum quidem atq. præclarum est: sed habet aliud quo longisśimè superetur. Nam Dei esse Matrem, & esse illam, ac semper futuram esse Virginem, id verò ex se resciri nunquam potuisse: multo quidem fuit præclarius atque diuinius. Habuit enim consimiles sibi puellas quibuscum vixerat, in eadem vitæ ratione & instituti versantes; habebat parentes & suorum ora vultusq. quos obseruabat, verebatur, qui semper aderant; at nihil vnquam apud eos gloriatam, ac ne verbo quidem vno rem suarum intimarum multo maximè fidisśimarum vlli vnquam aperuisse: permagnum perq. arduum, tum planè mirum, ac propè incredibile fieri potuisse. non tu admiranda Virgo, in eo *Supergressa es vniuersas?*

QVAMQVAM enim multas alias bonas præclarasque artes tuus animus posśidet, multis abundat ornamentorũ generibus, multis virtutibus quasi fontibus scatet, sed quemadmodum stellæ, tametsi semper quidem sunt atque lucẽt, tamen extinctæ nobis videntur esse, cum suum terris lumen Sol explicuit, propterea quod in maximi atque clarisśimi apparitione luminis, illa stellarum quasi puncta ignea hebetantur, neq. emicãt foris: ita etiam, quę in Matre Creatoris, & nutrice cuncta nutrientis laudes maximæ insunt atque multæ, sunt illę quidem eximiæ, incomparabiles, diuinæ, habentq. suam per se ipsa lucem atque splẽdorem: sed cum ad hanc vnam laudẽ comparantur, quod neque stultè te iactaris, neque gloriata sis, sed posueris ori tuo custodiam, & ostium circunstantiæ labijs tuis, laudes quidem cęteræ offunduntur statim quasi multo maiore lumine, opacanturque ita, vt nihil propè appareant, sed extinctæ intermortuæq. videantur.

MVLTAE filię congregauerunt diui. tu superg. es vniuers. Nullæ me infantem cõtrectarunt nudo victum, vestitum præbuerunt, algentẽ demulserunt

ferunt? lactantẽ ſinu confouerunt? &: Vt auem migrantẽ è nido ſuo, fugientem geſtarunt vnquam in vlnis? vllas mecum peregrinationes ſuſceperunt? non in eo etiam *Tu*, Virgo excellentiſs. *Supergreſſa es vniuerſas?* An eadem illæ fortitudine qua tu, meas miſerias & ærumnas pertulerunt? profugum, exulem, inopem, deiectum de rebus omnibus conſolatę ſunt? gremio vt hoſpitio, vrbe, opibus iuuerunt? beneuolentiaue vlla proſecutæ ſunt? *Tu ſupergreſſa es vniuerſas*, ſola enim omnem illam exilij calamitatem mater optima & indulgẽtiſsima, tua pręſtanti pietate, aut omnino aut magna ex parte minuiſti atque leuaſti.

QVOD enim tu exilium? quam calamitatem? quos labores? quas ærumnas mater tum pręſtantiſsima, tum ſupra fidem mei amantiſsima non leuares? magni pręſertim animi incredibiliſq. prudentię. Itaq. in ſummo illo rerum fortunarumq. mearum omnium diſcrimine, triſtiſsimiſque temporibus, te ſolam magnum meum ſolatium, fugę, viarum, curarum, laborumq. meorum omnium comitem atque ſociam habui.

ATQVE mihi quidem totius vitæ curſum memoria repetenti, ſingulaſq. animo miſeriarum & calamitatis eius partes intuenti, nulla maior, nulla vberior conſolatio videri ſolet, quam quod vna mihi mater obtigiſti, de qua quidẽ cùm virtutum omnium omnes quę fuerunt, ſunt atq. adeò futurę ſunt mulieres, exempla ſumere abundè poterunt. Nam cum omnes ſeculorum omnium, virtutum genere longiſsimè ſuperaris: tum ipſarum quidem vniuerſi mulierum ſexus atque generis omnem pręſtantiam *Prætergreſſa* longius es, quam quod vllius mulieris ad virtutem curſus, ne cogitando quidem pertingere, nedum aſſequi, vlli, vnquam ſeculis ſperare poſsit.

ET quoniam quod Cœlum nunc aſpicio, quod reſpiro, quod hanc vitam atque hoſce artus & oſſa circumfero, mihi ex te vna profectum eſt; & ſępe corporis vexato doloribus & demum morienti affuiſti; & tunc quidem tuas in me mortuum lachrymas, tua officia plena curę, plena pietatis, plena memorię profudiſti; tũ nihil magis vnquam prouidiſti, quam vt ſectatores diſcipuloſq. mea morte proſtratos in ſpem certam erigeres, eoſq. afflictos & mærentes ſubleuares, omnium te illorum oculis eadem acie qua me intueuntibus, te tunc reſpiciẽtibus, quaſi ſuas ſpes, ſuas opes omnis in te vna ſitas atque repoſitas putarent: quoniam plurimum merito tuo & Patris imprimis indulgentia, *Supergreſſa es vniuerſas*, nos qui de tua inſigni pręſtantia & excellentia, attenti olim, & curioſi ſpectatores fecimus iudicium: maximarum laudum titulos quoſcumq. aliarum nominibus occupatos, tibi vni Mater iure optimo aſſerimus & vindicamus.

Aff. FALLAX gratia, et vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur.

OMNIS quarundam gratia, & fuco quæsita pulcritudo, pigmenta & lenocinia, quæ ignes iuuenum, fomenta libidinum, & impudicæ mentis inditia sunt, & quibus cum nolint forma ab alijs superari, tanta est tamq. vitiosa cupiditas placendi, spectatorum oculos fallere, & vulnerare animos, & corpora lędere nituntur, quibus denique tolli pictura Dei, non enim Deus sic fecit, sed Diabolus infecit, & in contumeliam Creatoris assumi solet meretricis; quibus laruas agere, & personatæ incedere, fallere denique & decipere student:

,, *Dum noctes diesque in omni ætate semper*
,, *Ornantur, lauantur, tergentur, poliuntur, non enim modus*
,, *Muliebris vllus est; neq. vnquam lauando & fricando sunt saturę*
,, *Neque vlla satis, se modo si exornare occeperit*
,, *Ornandi satietas est* doli sunt, *Fallax gratia est, et vana pulchritudo.*

NAM cum nigro puluere lineamenta oculorùm pingunt, dum alijs placere student, se priores sibi displicuisse, & Christum planè exuisse testantur; venenata & lethalia propinant & oculis haurienda exponunt. certè de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis; & cum facié talem videri qualem Deus creauit nolunt, & in contumeliam Creatoris conantur esse pulcriores quam natæ sunt, cum labris purpurisso tinctis rictum vrsæ cruentum imitantur, stibio atris supercilijs quasi ad ollam culinariam attritis, albis genis vt parietibus dealbati sepulchri, se palam pulcràs & spectandas exhibent: *Fallax gratia est*, & adulterina *pulchritudo*; qua etiam ipsos maritos nolle decipi dubitandum non est. Rectè enim *Fallax*, ad omnem fucorum & pigmentorum genus referri potest.

QVAMQVAM ob id quod sequitur: *vana est pulchritudo*, quod *Fallax*, inquit, *Gratia*, de naturali forma accipi potest. vt dicat Vates, species oris, & gratia vultus, omnisq. suauitas & lepos, totius corporis pręclara & eximia pulchritudo, sine probis moribus, verisq. laudibus non magni facienda est. nam

,, *Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt*
,, *Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobant.*

SED & *Gratiæ* nomine multa alia fortasse comprehendit, quæ instrumenta luxuriæ sunt, & quibusdam cariora sæpe quam decus & pudicitia sunt. Videas enim mulieres genere atque forma, prætereaviro atque liberis fortunatas, doctas psallere & saltare elegantius quam necesse est probæ mulieri, sic blandè ac lepidè loqui, vocem frangere, intorquere, posse versus facere, iocos mouere, vti sermone non tam modesto quam molli & procaci; idq. sibi etiam magnæ laudi ducere; ita porrò humanas se præbere, ita faciles ad eas aditus esse, omnibus hominibus, omnibus horis patere: vt neminem domum suam patentiorem habere dixeris. hæc

omnis *Gratia*, istæ omnes illecebræ, suauitas & lepos; sine Dei timore *Fallax gratia est, & vana pulchritudo.*

VANA pulchritudo Pulcherrimas, inquit, fæminas & formosissimas videas, quibus nullę pulcriores, nullæ speciosiores aliæ possunt reperiri; quarum omnes corporis motus, inflexiones, dulci frontis, & decoro aspectu, & formæ tanquã luminibus illustrantur, redduntur suauiores. Omnis ergo hæc pulchritudo, candor atque hilaritas oculorum, vultusque forma ac species, totiusque corporis mira quædam dignitas, & dulcis venustas longè amabilis, Omnia hæc quantumuis magna, & curiosis spectatoribus admirabilia, ego elegãs formarum spectator, qui omnes mulierum formas non aliter ac futurum opus habet artifex in animo delineatum, vt illud quasi præsens conspiciat, sic antequam omnia existerẽt reuera, veluti in numerato habui, ac præsentes contemplatus sum: te vnam cum esses paruula, vidi speciosam sicut columbam, cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis tuis. *Mulier timens Do. ipsa laudab.*

TE vnam vidi Dei TIMORE carnes tuas confixisse, eundemq. qui mediocritatẽ non admittit, timorem sitiens semper, ita cõtendisti vt assequi posses, (Adiuuabam enim ego te mane diluculo, &: Cum esses paruula placuisti altissimo) vt quamquã nihil tu quod purgares, haberes: imitata agricolas qui sentibus prius agrum perpurgant, postmodum semina iaciunt, sic tu ab omni corporis sensu, contagioneque animũ auertens: Diuini huius Timoris semina excepisti.

FALLITVR enim si quis eum putat, corruptis obscænisq. moribus immisceri; sed ijs quos omnis iam cupiditatum quasi spinarum cõmistione suffocata, aurea delectat virtus; qui nil Cœlo maius habent quod suspiciãt; æternitatem affectant; his inquam sui cultoribus Timor se infundit, magnum præbet pręmium, se ipsum largitur possidendum; & qui nullius opis egeat, suis animosus diuitijs, & tanquã è specula mortalia despiciens, sit omnium felicissimus. quæ ergo tantum hunc diuini Timoris thesaurum, neglectum iacere non patitur, non suauem quæ ex coŏritur in animo harmoniam & concentum, non surdis auribus negligit, ac transire patitur: ea inquam, *Timens Dominum mulier ipsa laudabitur.* Cæterę quantũuis magnis & eximijs dotibus illustres & conspicuæ, sine hoc Timore, insulsę planè sunt & inuenustæ.

VIDEAS enim quosdam humani diuinique iuris contemtores, si minus oratione, vita tñ & factis improbiss. illud Polyphemi vsurpare,

„ *Iouis ego fulmen non metuo hospes,*
„ *Nec scio, quod Iuppiter est me potentior Deus.*
„ *Cæterum non curo, & quare non sit mihi curæ*
„ *Audi. Quando deorsum ille mittit pluuiam,*

„ *In hoc antro habitaculum habeo solidum,*
„ *Et vitulum assatum, aut aliquam bestiam*
„ *Cænans in lecto quod capit supinum ventrem:*
„ *Tum ebibens lactis amphoram, vestem*
„ *Concutio contra tonitrua Iouis crepans.*
„ *Quando verò Boreas Thracius niuem fundit:*
„ *Pellibus ferarum corpus circundans meum,*
„ *Et ignem accendens niuem nihil curo;*
„ *Terra verò necessario siue velit, siue nolit*
„ *Pariens herbam, pinguefacit pecudes meas,*
„ *Quas nulli macto præterquam mihi (non Dijs)*
„ *Et ventri huic qui maximus est Deorum;*
„ *Quia comedere & bibere quotidie:*
„ *Id verò Iuppiter est hominibus sapientibus*
„ *Et nihil se angere; qui verò leges*
„ *Posuerunt, variantes hominum vitam:*
„ *Illos plorare iubeo, meæ vitæ ego*
„ *Non desinam benefacere, edens te*
„ *Xenium dabo tale vt irreprehensibilis sim*
„ *Ignem & patrium hunc lebetem qui feruens,*
„ *Tuam carnem ponderosam capiet pulchrè.*

E QVORVM numero haud pauci exstitere, atque nunc etiam vtinam non sint, quos per amicitiæ simulationem, contra fas, contra fidem datam, optimè etiam de se meritis, per vim & malis artibus sedes & honores scimus abstulisse, in dignitatem, salutem, sanguinem, omnia tentauisse, multa perfecisse; quibus alijsque virtutibus effectum, vt difficile dictu sit, quam illos sui oderint, quantum illis carere concupierint, quanta illis imprecati sint, quàm se, quam fortunas suas, quam libertatem, quam pro illorum interitu sæpe suam vitam, non dico indiscrimen offerre & deuouere optauerint, quàm nihil vnquam perpeti recusauerint, dum illis carendum sibi fuerit.

221. DATE ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera eius.

IAM hic Virgo benignissima, quæ mihi vocata, & inuocata semper adfuisti, appello bonitatem tuam. quid enim ego inops & pauper ingenio, & ab eloquentiæ opibus imparato, nisi a te acceptum, dare tibi possum? quas tibi gratias agere? quem fructum labiorum? (hunc enim filius tuus primogenitus pro manuum tuarum fructu, à nobis fructum repetit) quæ pia vitulamina? quod laudis sacrificium, ac votum reddere tibi possum? silentio preterire satius est, quibus cum dignitate laudandis

pares esse non possumus, quã tantę rei magnitudinẽ non satis explicasse.

SED vetat bonus filius, tuas nunc laudes præteriri: Aperi, inquit, os tuum & implebo illud. *Date ei*, inquit, de vberrimo illo *fructu manuum sua rum*, quod est, Ab omnibus pro merito laudetur. Nam diligens operaria, tot ignauis & cessatricibus præstitit, vt se gesꝭit, & operata est consilio manuum suarum: perinde etiam earundem fructum ferat.

QVEMNAM porrò dicis, pijssimæ matris fili indulgentissime? quemnam verò fructum ei dare iubes? ita enim præcipis: *Date ei de fructu*; Quoniam, inquit, est seculorum progenies initialis, rerum naturæ altera parens, summa Cælitum, Regina Angelorum, Elementorum Domina: *Detur ei de fructu manuum suarum*, Tempestates mitiget, sæuos maris fluctus cohibeat, mortales foueat, vnam superi colant, contremiscant Inferi, luminet Solem, regat Mundum, calcet Tartarum, cuncta denique illius Maiestatem, potens est enim Regina & Mater præpotentis Dei, cũcta, inquam, perhorrescant.

DETVR ei de fructu, Dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuat, mari terraque protegat homines, & depulsis vitæ procellis, salutarem porrigat dexteram, omnium Regina summa omnia eximiaq. dispenset, numquam certè me frustra deprecabitur. Appellata Regina, audiam postulationes, illa interpellante iras temperabo.

DETVR ei de fructu manuum suarum, Vniuerso hominum generi quasi imaginem & simulacrum post me relictam esse volo, quam spectare atq. respicere omnibus in rebus semper debeant; illam omnibus cogitationibus, dies atque noctes colere, tantosq. honores tribuere: quanti certè hominum & Angelorum Reginæ, haberi maximi atque amplissimi possint; quàm, inquam, intueri, respicere, qui verissimis lætitijs frui volent, in qua vna suas spes, suas opes omnes sitas atque repositas putare debeant.

DETVR ei de fructu manuum suarum; Si quæ in reos atque peccatores placabiles animaduersiones, in miseros afflictosq. condonationes, in bonos munerum & gratiarum nostrarum declarationes, liberalitates, honores, largę & hilares meritorum pensationes: vberrimus hic sit & copiosissimus *fructus manuum suarum*, quem ab ea omnes expectare debeant; denique, nihil sit tam magnum atque arduum, quod ab ea non sperare modò homines audeant, sed planè etiam ipsi sibi polliceri, & suo quasi iure ab ea repetere propterea possint: quod illos adoptaturus, regniq. Paterni hæredes instituturus non fuissem, nisi eã talem futuram, quæ sustinere tantam gloriam posset, mihi certum, exploratumq. fuisset.

QVAPROPTER eius filijs cogitandum est, ne immemores beneficij videantur, quemadmodum ij, tantorum in se promeritorum gratiam

tiam

tiam illi debitam referant, sintque pro illius copiosiss. fructu, Exultationes illæ Dei in gutture eorum: Intercede Domina, hera, Regina & mater Dei. iuua pusillanimes, refoue flebiles, vt cuius beneficio reuixit mundus, viuat nunc beatus, viuat in bonæ matris tutela gloriosus.

LAVDENT eum in portis operatio eius: Quamquam arduum sit & perdificile eius laudes oratione complecti quæ omni genere laudis excellat, vt cuius vnius virtutibus nō modo pares, siue inferiores multò omniū mulierum virtutes nulla secula vnquam habuerunt, neque ijs referendis omnibus idoneum certum est nullum hominum existere: quoniam tamen ita præcipit ac iubet illius sponsus, genitor, ac filius: *Date ei de fructu mauuum suarum*, conandum nobis est, vt obsequium iam nostrum, & pietas appareat.

LAVDENT ergò *eam in portis opera eius. Portis* claustri Virginalis, & in his quidem eam eximijs prçconijs iure *Laudēt*, quod in his maximè *notus vir eius*, princeps, inquam, ille Israel, cuius mater Virgo est, cuius pater feminam nescit. *Laudent* inquam, quod gaudia matris habens cum virginitate pudoris, nec primam similem visa est nec habere sequentem; *Laudent eam in portis*, per quas mors solet introire, quod idem ipse earū seras confortauit. *Laudent eam in portis*, Seniorum conuentu, cætu & senatu Apostolico, idque Hebræis porta; laudata.n. est ad sepulchrum a Sanctissimo Timotheo, Hierotheo, Dionysio, ipso fratre Domini Iacobo, & Petro Apostolorum principe & coryphæo. Placuit omnibus cum ad contuendum corpus quod vitæ principium dedit (ait Areopagita) & Deum suscepit conuenissemus: viso sacro corpore prout quisq. poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem diuinarum virium.

QVOD vidit Salomon, eundemq. quo hæc scribimus, sacrum Assumtioni Virginis diem altissima mente comprehendit; vidit & gauisus est, *In portis* illis sublimioribus, ijs cantib. qui concipi humana mente non possint fuisse celebratam. Atque hic quidem videtur, è Spiritus ipsius Sācti sensibus & intellectibus iam mihi germanissimus. Nam quemadmodum ascendente filio, Diuini Angeli ad portas præcurrerunt: & clamauerunt ijs qui excubabant ad portas, quibus custodes adhibiti erant (Nam, cùm ratione preditę sint, ita enim legimus: Habet ciuitas murum magnum & altum habentem portas, & in portis Angelos duodecim, quas cum Vates testes & Iudices appellet, ait enim: Obstupescite Cœli super hoc, & portę eius desolamini, duo mala fecit populus meus: ijs vt intelligentia preditis meritò Angeli dicunt: Attollite portas, atque non tantum imperata facere contenti, verum etiam sublimioribus Potestatibus ac ijs qui portis ipsis Cœlorum magis sublimium præscidebant, quæ audierunt, nuntiant; & cum non solum ingressurus esset, sed multæ essent

essent mansiones apud Patrem: multas & varias portas dicit aperiendas) sic etiam nunc, cùm Virginem superbenedictam laudari vult *In portis*: nō Cœli ianuas, aut nubes dicit, quas aperuit & pluit illis manna ad manducandum; sed portarum sublimiarum præsides, custodes, ianitores ac vigiles. Sunt enim aliæ & aliæ portæ, & his aliæ sublimiores, &: Excelsus supra excelsum sedet, & his quoque excelsior est alius.

DESCENDIT enim obuiam Dominæ & Reginę totus Vitæ senatus, & Angelicæ potestates diuinissimo corpori alas prætenderunt, adfuerunt parentes, proaui, eorumq. progenitores, & cum ijs choros duxerunt Angeli, celebrarunt Archangeli, præuenerunt Principes, ad quos dictum est, Attollite portas principes vestras, coniuncti psallentibus; Lætata est Virgo in choro, in medio iuuencularum tympanistriarum.

AD hos tot sanctorum millium maximos & celeberrimos conuentus, bonæ matris filius: *Date ei de fructu manuum suarum, Laudent*, inquit, *eam in portis*; Quoniam incolatus eius prolongatus est, & habitauit cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima eius, & defecit in atria hæc: cum accedit ad ciuitatem Dei viuentis, ad Hierusalem cælestem & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum: Iam nunc vestram, omniumq. creaturarum Dominam & Reginam adorate. O vos Hierarchiarum præsides ac principes, tot vestri ordinis millibus collegis imperantes, vosq. omnes illis parentes Angelorum exercitus, & militares acies, *Date ei de fructu manuum suarum*, sacrisque & solemnibus verbis eam celebrat.

NEQVE enim ij qui Gabrielis admirando colloquio interfuerunt, & cū Diuina filij essentia se in Virginis vterum includeret, à Deo mandatum est, vt per illum ederent hymnum capacissimum, cum Solis claritate & splendore cōspicuam, & à sui ordinis tot millibus collegis, alarū expansione reuerenter obuelari, gaudio & admiratione potius quam vlla ignorantia exclamarunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto innixa supra dilectum? ad eos ergò bonæ matris filius; Qui illius vitę actiones perspexistis, nolite, inquit, obstupescite super hoc, quin iam nunc: *Laudent eū in portis opera eius*.

VT igitur ea quæ fusius aliquanto diximus, in vnam summam contrahamus; Ex prima acie Seraphini præcentores diuinissimum melos exorsi sunt: Quod suæ gloriæ nullam rem sotiam habet: *Laudent eam in portis opera eius*; quod nullius adiumento ad rem omnium maximam, ad mirabilem, eximiam promerendam vsa est: *Laudent eam in portis ope. eius*.

QVIBVS vt in præcentiuo & succentiuo Kerubini: Quod sui nominis gloria impleuit totum mūdum: *Laudent eam in portis opera eius*; quod cunctas vita sua Ecclesias illustrauit, nec primam similem visa est, nec

habere

habere sequentem. *Laudent eam in portis opera eius.*

THRONI verò: Quòd audiens Gabrielẽ multa & maxima mysteria, & cum eo videns Angelicas omnes potestates ad pedes sibi accidere, Dominam & Reginam salutari: Secretum, inquit, meum mihi, secretũ meum mihi: *Laudet eam in portis opera eius.*

QVOD Aeterni Patris verbum videns in se concipi, & creaturarum omnium Dominam & Reginam se constitui, nullum vlli mortalium verbum de ea re facit, ipsam etiam celat matrem & nutricem suam: Arcanum Regis, inquiens, abscõdere bonum est: *Laud. eam in por. ope. eius.*

EX secunda verò acie, succentrices Potestates, à sublimioribus edoctæ Hierarchijs: Quòd ex re permagna, ac prope incredibili, nullum apud virum, nullum apud parentes sibi nomen quærit, ex quo si quærere: maximam verissimamq. gloriam cerneret, à se quæsitum iri: *Laudent eam in portis opera eius.* Quod omnium hominum verissimas de se laudes, præconiaq. despexit, sua tantum cõscientia contenta, nullam à suis, nullam ab exteris admirationem appetiuit: *Laudent eam in portis opera eius.*

RVRSVS Dominationes: Quod non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei contulerit in corde, & tanquam prodigium quoddam, & magnum mundi miraculum omnibus extiterit, *Laudent eam in portis opera eius.*

IAM Virtutes, ab ijsdem edoctæ Hierarchijs: Quòd quem ipsę virtutes Cœlorum contremiscunt, omnes inuisibiles adorant potestates, caput plenum rore, & madentem guttis noctium, fouit gremio suo, & vbera lactentem blandissime tractauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

TVM ex tertia acie succinentes Principatus: Quod iam immolandum Aeterni Patris filium, exq. Deo Deum

„ *Inter flores Martyrum,*
„ *Quos lucis ipso in lumine*
„ *Christi insecutor sustulit*
„ *Ceu turbo nascentes rosas*

Speculatorum manibus & mucronib. eripuit: *Laudent eam in portis opera eius.* Quod eundem profugum, exulem & inopem, deiectũ de rebus omnibus, migrantem è nido suo, est fortiter secuta, & peregrinantẽ, vagientem pannis alligauit, manus pedesq. crura stricta cinxit fascia, blandissimè gestauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

ARCHANGELI verò: Quod hominum desperatorum causam procurauit, eisq. responso prudẽtissimo gratiam & misericordiam a Deo impetrauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

RVRSVS Angelorum chori innumerabiles: Quòd se, corpus, mẽtẽq. suam, pudicitiæ exemplo magno, inusitato, insolito, Deo consecrando;

do; violentum prædatorem ipsa deprędauit: *Laudent eam in portis opera eius*; Quòd sæuum odium & atrox, quòd bellum intestinum, æterno illo amore & delitijs commutauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

ITERVM Virtutes: Quod conceptu lætata prępotentis Dei, impleuit desiderium collium æternorum, & æterna sobole mundum recreauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

PRINCIPATVS: Quòd desertam olim, neque misericordiam consecutam, cuiusq. vterum Deus cõclusisset, prole numerosa Ecclesiam fæcundauit, matrem, inquam, filiorum reddidit lætantem: *Laudent eam in portis opera eius.* Quod Dei iustissimas aliquando iras temperauit, & mũdo inopi, egenti, in extremis miserijs constituto, manus suas clementissimè protendit, æternis illis odijs pausam pacemque tribuit: *Laudent eam in portis opera eius.*

RVRSVS Seraphini: Quòd vetusti erroris remoto crudo pabulo, mitem & vitalem cibum commonstrauit: *Laud. eam in portis opera eius.*

THRONI respondentes: Quòd primum homicidam, & sui inprimis occisorem, serpentem tortuosum pedibus calcauit: *Laudent eam in purtis opera eius.*

DOMINATIONES: Quòd furoris virgam ferream, & sceptrũ exactoris, vti leues paleas & putres reputauit: *Laud. eã in portis opera eius.*

POTESTATES: Quòd Pharaonis duram euasit seruitutem, & iugum oneris eius dissoluit, dissipauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

ITERVM Seraphini: Quod fontem sanctissimum corporis, generis humani educatorem, ipsius vitæ auctori blandissimè instillauit, demulsit carnem Diuinam, algentem deliniuit, inter vbera sua commorantem gestauit, contrectauit: *Laudent eam in portis opera eius.*

KERVBINI: Quòd morte Redemtoris, tam graui accepto vulnere, tot lachrymas profuderit, optimum verò consolationis genus ad afflictorum lachrymas adhibuit: *Laudent eam in portis opera eius.*

THRONI verò: Quòd mærore & acerbitate impedita, suas illas tot ac tantas virtutes magis efferebat, & occiso Domino omnium salutis & quietis procurationem animo versabat: *Laudent eam in portis opera eius.* Quod magni pręstantisq. animi mulier, tum sibi illum minus ereptũ putabat, triduo eum in mentibus hominum atq. sermonibus magis, magisq. qua dignus esset gloria, pollicebatur versaturum: *Laud. eã in por. ope. eius.*

POTESTATES: Quoniam cor suum tradidit ad vigilandum diluculo, & incomparabili vitæ sanctitate, misericordias Dauid fideles, magnumq. Aeterni Patris consilium operata est, consilio manuum suarum: *Laudent eam in portis opera eius.*

DOMINATIONES: Quòd Deum hominem factum, opprobriu

brium hominum & plebis abiectionem, ab his in quibus summa fides esse debebat proditum, deceptum, derelictum comitata est: *Laudent eam in portis opera eius.*

VIRTVTES rursus: Quod cũ cruciatu & macie maiestas illa formæ eximia contabesceret, & : Virtus tanquam testa, ossa sicut cremium aruissent, fugientib. viris vna plusquã virilis fœmina, illum semper intuẽs, abeuntem animam suo quasi ore esset exceptura, palmam suam aperuit inopi, & manum suam ad pauperẽ extendit: *Laud. eam in portis opera eius.*

ITEM Principatus: Quòd timore discipulis perculsis, corpori Diuino condiendo, siccando, alligando sollicitè incumbebat, adstantes excitabat, & tridui absentiam pollicita expectabat filij promissionem, cetumq. & Senatum Apostolicum regebat: *Laudent eam in portis opera eius.*

ITERVM Archãgeli, Pro Lana illa & lino, Agro bene culto, Vinea consita, sarrita, Bracchiorum robore, Lumborum præcinctione, Esca, atque cibarijs, & illo Pane vitæ, salute denique & vita mundo restituta: *Laudent eam in portis opera eius.*

SED & collegas Angeli in cytharis excipiunt: Pro Bysso illo & Purpura, Conchyliatis indumentis, Vestibus coccineis, Lucerna non extincta, Lege illa clementiæ, Responso prudentissimo: *Laudent eam in portis opera eius.*

ET nobis bonæ matris filius, quoad quidem in hac vita sumus: Quod regeneratrix fuit, & reparatrix vestra, spes Hierusalẽ, lætitia Israel, & gloria luti vestri: *Date ei de fructu manuum suarum.*

ITAQVE vniuersus orbis eam laudat. Ipsi etiam Turcę ex Spiritu Sancto concepisse testantur: Mariæ inquiunt filius, Dei spiritus. Si quid iureiurando confirmare volunt: Mariæ nomen adhibent. Iudæi cum affirment Salomonem loqui de Muliere, neque perspicere possint quænam ea sit, cui tantas & tam veras laudes vident tribui: quo se vertant nescientes, magnis clamoribus & vlulatibus miseri, æstuantes, anhelantes repetunt versus singulos, & fanatici prorsus desipiunt insanissimè; vt non magis ridere soleam hominum amentiam, quàm insaniæ misereri.

QVID enim aiunt homines ingenui? semen Canaam? Circumcisionis lumina & columina? Quã igitur pro Ioakim & Annæ filia Maria, Domina, Regina, matre prępotentis Dei? quam, inquam, Mulierẽ Salomonẽ celebrasse nunc existimant? Eloquar? an sileam? vereor. n. si dixero, vt

„ *Auditum admissi, risum teneatis amici.*

sed dicã tamen insanissimi sui cerebri deliria. Materia prima est hæc mulier à Salomone decantata. Forma est eius vir, qui vxori huic tantopere confidat, quam illa ita appetat, vt virgo quæpiam virum & sponsum pubertatis suæ.

O Scholas magnificas? ex quibus laudem scilicet ac commendationē synagogæ vestræ primariam aucupantur? O vestras non minus perditas, quam perdentes synagogas ac coitiones? Facessite hinc Virginis contētores. Abite hinc cælo inuisa nomina. Gratia sit Deo meo, æterno & immortali, quòd diuino ipsius nutu atque imperio iustissimo factum sit, vt perditi & nefarij erroris præsentem sustineatis pœnam, mercedemque, vt ait Apostolus, in vobis recipiatis.

„ *Nos enim Christe qui tuo*
„ *Redemti sanguine sumus*

tui vero domestici ò Virgo Veneranda, tui inquam Filij, clientes & alūni, audimus vocem & imperium filij tui: *Date ei de fructu manuum suarum. Laudent eam in portis opera eius.* Et quoniam

„ *Tuus ò Rex magne quid optes*
„ *Explorare labor, nobis iussa capessere fas est:*

idcirco, siue ab Ecclesia edocti, siue mutuo sumentes a sublimioribus Hierarchijs, quam vna Sancta Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, Sanctissimam Dei Matrem hactenus nominauit, ac duxit, omniq́ue veneratione coluit; Patres nostri iam inde post susceptam semel Religionem Christianam, supplices semper & proni adorauerunt; cui cereos incenderunt, cui thus adoleuerunt; cui flores sparserunt; cui cymbala percusserunt; & quā omnibus deniq. honoribus sunt prosecuti: eandem nos summis & eximijs laudib. perpetuò celebramus: Beata tu in mulieribus & benedictus fructus vētris tui; Benedictus vēter qui Deū cōcepit, & mamillæ quæ Deum lactauerūt. Intercede hera, Fauus enim distillans labia tua, Intercede Mater præpotentis Dei, quoniam mel & lac sub lingua tua. Intercede Domina, Regina & Parens Verbi. Sit satis laborū, sit satis periculorū. Depelle densas tenebras, & mœroris circumfusam aīo caliginem.

QVOD si offensa Filij tui Maiestas, cuius res omnes nostrę reguntur prouidentia exorari nobis, placariq. non potest: O cuius Maiestatē totus veneratur orbis, Regina & parens nostra, quæ tuo præsidio septos atq. munitos, tutos, & inexpugnabiles nos esse voluisti, quę in nos commotas tempestates & fluctus non minus quā marini formidabiles, sæpe repressisti, & de Cœli regione nos intuens, vt

„ *Me tabula sacer* „ *Suspendisse potenti*
„ *Votiua paries indicet humida* „ *Vestimenta maris Deæ*

tibi hæc a nobis elaborari vides: Adsis hera nostros miserata casus, adsis fauens & propitia, iam nobis tua intercessione illucescat dies salutaris, quo sedatis tot meis tempestatibus, & lenitis procellosi maris fluctibus, me Filio tuo, me tibi hera Domina, & Regina, memihi tandē restituas.

PRIMI COMMENT. FINIS.

IN IDEM SALOMONIS ALPHABETVM MYSTICAE & ſpiritalis expoſitionis

AD S. D. N. SIXTVM QVINTVM PONT. MAX.

Bartholomæi Valuerdij Sacrae Theologiæ Doct.

Secundus Commentarius.

O R I G E N E S.

SI potuero vnum aliquem intellectum ſentire de viſionibus Dei: vnam diem videbor feciſſe ad puteum Viſionis; ſi non ſolum iuxta literam, ſed aliquid & ſecundum ſpiritum attingere: biduum videbor feciſſe ad puteum Viſionis. Quod ſi Moralem locum contigero, fecero triduum, vel certe etiam ſi non potuero omnia intelligere: aſſiduè tamen in lege Dei meditor die ac nocte, & omnino nunquam deſino inquirendo, diſcutiendo, tractando, & certe (quod maximum eſt) orando Deum, & ab ipſo poſcendo intellectum, qui docet hominem ſcientiam.

IN IDEM SALOMONIS ALPHABETVM MYSTICAE & ſpiritalis expoſitionis

AD S. D. N. SIXTVM QVINTVM PONT. MAX.

Bartholomæi Valuerdij Sacrae Theologiæ Doct. Secundus Commentarius.

1. *ALEPH. Mulierem fortem quis inueniet? procul & ab vltimis finibus pretium eius.*



VLIEREM, Animam in Scripturis appellari, quæ non tam profert diuinum illud ſemen, quàm ſuſcipere poteſt, ex Patrũ Orthodoxorum ſententijs & interpretationibus exploratiſsimum eſt. Huc enim referenda ſunt, quæcumque de Hieruſalem & Sion, portarumque eius, quinque corporis noſtri ſenſuum confortatione, & cuſtodia ciuitatis, interioris, inquam, hominis ſæpe legimus; quem niſi cuſtodierit, magnus ille cuſtos, & paſtor lapis Iſrael, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Quin adoleſcentulæ quæ currunt in odorem vnguentorum, Filięque Tyri in muneribus vultum Regis deprecantes; & qui a facie Domini concipiunt & pariunt ſpiritum ſalutis, quiq. ad partum veniunt & virtus non eſt pariendi, Mulieres, inquam, ipſę molles & effeminatæ, ſiue fortes, maſculæ, magnanimæ, viriles, animi noſtri ſunt; nos inquam ipſi ſumus. nec enim ij ſumus, quos forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque is eſt quiſque non ea figura quæ digito demonſtrari poteſt.

QVOD ergò ſapientiſsimè expreſſum eſt à Poeta præſtantiſs.

Facilis deſcenſus Auerni,
„ *Sed reuocare gradum, ſuperaſq. euadere ad auras*
„ *Hoc opus, hic labor eſt. Pauci quos æquus amauit*
„ *Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus*

„ *Dijs geniti potuere* verè enim, qui ſic ſunt: filij Dei & hæredes, cohæredes autem Chriſti dicuntur & exiſtunt; idem nunc a Salome Arcanis verbis & myſticis dici exiſtimandum eſt.

MVLIEREM ergò *Fortem*, Animum cupiditatum domitorem do ctum & inſignem, qui ſe hoſtiam viuam, ſanctam, placentem, rationabilem, Deo repræſentet, qui ſalientem illum & ferocientem vitulum cornua producentem & vngulas, carnem inquam ſuam, ad oſtium tabernaculi maſculinum munus offerat, *Fortem*, qui feminam neſciat, illecebras reſpuat, quidquid debile eſt ac molle abhorreat, abominetur, refugiat, carnem ſuam in caſtitate Deo offerat, non caſtum dico corpore, ſed *Fortem* caſtum inquam corpore & ſpiritu.

SVNT enim quidam caſti corpore, anima autem inquinati & inceſti. Aut enim humanę gloriæ, & popularis auræ cura tantum, aut auaritiæ cupiditate polluuntur, aut inuidię liuoris ac maleuolētiæ qui eſt Angelus Satanę violentiſs. miſera infelicitate ſordeſcunt, aut furentis odij & iræ immanitate vexantur, & inſanabili aſpidum veneno computreſcunt; & cum facilitate nihil homini ſit melius, neque clementia

„ *Illi, agreſtes, ſæui, triſtes, feri, truculenti, ferrei*
„ *Exacta iam ætate hoc fructi pro labore ab alijs ferunt,*
„ *Odium.*

QVICVNQVE ergò tales ſunt, licet corpore caſti, *Mulieres fortes* non ſunt, excluduntur à thalamo ſponſi. neque enim è numero prudētum, ſed ex illis quinq. virginibus ſtultis ſunt, qui Virgines quidē fuerunt, & corpore caſtæ: ſed ſola carnis continentia, charitatis lege, & reliquarū virtutum luminibus deſerta, ſponti fores non eſt potis aperire.

MVLIEREM ergo animum nullis eiuſmodi telis, iaculis & ſpiculis agitatum, nullis internis prelijs carnis & ſpiritus fluctuantem, ſed hęrentem Creatori, & in mortali corpore ſuperas cęli plagas pererrantem, vitę illius vitalis fructus iam haurientem, Diuinęque legis pręceptorum cuſtodē inuictiſs., *Fortem* diuino pręſidio tutum & inexpugnabilē, cuius neque ædificium eſt ſuper arenam, neque radix ſuper petram, ſed domus quidem eius fundata ſuper petram, *Fortem* neque Satanam, neque eius Angelos pertimeſcentem, Iuſtus enim confidit vt leo, non timebit à timo re nocturno, neque à ſagitta illa volante in die, & negocio ambulante in tenebris, nam ſi Dominus defenſor vitæ a quo trepidabit? *Fortem* ergò Mulierem, Omnes, vt Paulus ait cogitationes deſtruentem, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſum ſcientiam Chriſti: *Quis inueniet?* Animam inquam huiuſmodi ac mentem puram impollutā retinere non omnibus eſt datum. non cuiuis homini ſumma hæc felicitas contingit. Atq. hoc illud eſt Rabi Akiba de aſcenſu mentis in Deum: *RAITI BENE*

HA-

HALIIAH Vidi filios aſcenſionis, ad Deum dico toto animo & cogitatione conuerſos, puram cum manibus mentem ad eum tollentes : at hi, addit, paucißimi ſunt. Animum ergò, ita ex ſe totum aptum & cõparatum inuenire, æquè eſt difficile, atque pretioſas margaritas; qui verò ſe ita comparabit, vt cæteris velit antecellere : hiſce dotibus & notis debet inſigniri.

2. BETH. *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.*

EA pars animi, quæ intelligendo paſcitur & in actione verſatur, cuius eſt in reliquas imperium exercere, virum ſcilicet agere: de cæteris quidem corporis & animi viribus firmam ſpem concipit, vehementer laboraturas, vt ſe ad veram felicitatem perducant. quamobrem, *Spolijs non indigebit*, nihil de doctrinæ & ſapientiæ poſſeſsione, nihil de ſua comparatione deminuet, nihil illi deerit, quæ ad eiuſmodi virtutum auctus, & incrementa neceſſaria exiſtent. *Spolia* enim, Doctrinam appellat. & de Paulo ita accipit Eccleſia : Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, ob illud : Saulus deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres. Rurſus : Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis; veſpere diuidet *Spolia*, ob illud : Vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coram gentibus, quæ nunc ſunt *Spolia*.

ET quoniam omnia, quæ animus ita ex ſe aptus & comparatus comprehendit, cum a materia auulſa & ſeparata ſint, negatione quadam ſiue abſtractione tantum poſſunt percipi (certè ijs detrahimus ea omnia, quę corporeis rebus connotandis vſurpamus, nuda enim & materia ſpoliata comprehendimus) : idcirco quod, *Spolijs*, ait, *non indigebit*, de huiuſmodi ſiue negatione, ſiue vt Schola vocat, abſtractione, Arcanè dictum videri poſsit.

NAM SALAL, quod *Spolia* ſignificat, exactiſsimè interpretari poſſis, Negationem. ſic : Et negationibus ideſt, abſtractionibus non indigebit. nihil eorum ignorabit, nihilq. præteribit, quæ à rebus animo tantum & intelligentia comprehenſis, abſtrahi, & ſeparari poſsũt. Certe pro *Spolijs* vt dixi, ea vox poſita eſt, quæ hanc Negationem, ſiue Abſtractionem, ſeparationemq. ſignificat, nempe SALAL, Atq. eodem verbo, eodẽq. Vocabuli intellectu Deus vſus eſt cum Moſe : SAL, inquit, *nahalecba* Solue, Nega, Aufer, Remoue, longiuſq. proijce abs te calciamenta tua, indignas humiles, abiectas, vix ſe tollentes humo, de rubo ardente, nec abeunte in cineres, cogitationes tuas. Certè verbi SALAL propria vis, vſus & ſignificatus hic eſt.

3. GIMEL. *Reddidit ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ.*

ITAQ.

ITAQVE animus in felicitate comparanda totus heræns ac fixus, cauſa eſt, vt *VIR*, Intelligendi facultas, quæ latura eſt vitijs præmia debita & virtutibus, pro excellentia & poteſtate ſua, & in facultates reliquas præſtantia & imperio, toto vitæ tempore præclaris actionibus ſtudeat, vt ſpe, & fructu ſuo perfruatur, neque male fruſtrata etiam ſuum ſupplicium ferat.

4. *DALETH. Quęſiuit lanā et linum, et operata eſt conſilio manuum ſuarū.*

INTELLECTVS Agens incontemplando totus occupatus, non tum æternæ felicitatis fiet compos, cum aliunde tantum & externè excitatur: ſed cum ſe ipſum in primis mouet & accēdit, cum ſibi ipſi incitamento eſt, hoc enim in Arcanis ait idem Vates: In lectulo meo per noctes, quæſiui quē diligit anima mea. Idem porro eſt *quærere LANAM ET LINVM*. Nam vt iſtis corpora noſtra tegimus, & aeris moleſtias & iniurias propulſamus: ſic etiam doctrina & ſapientia pulchriores multò veſtes ſunt, & veriora certè exiſtimanda ſunt animorum noſtrorum indumenta. Nemo enim tam miſer, deſpoliatus & nudus, quam qui planè vacat ſapientia. Itaque cuius animus in eo totus eſt, vt veram felicitatem attingat: excitabit ipſe ſe ad quęrendam ſapientiam; eamque modis omnibus ſibi comparabit.

ET operata eſt conſilio manuum ſuarum, vbi nec opinando, neque contemplando poteſt profici, neq. porrò demonſtrationes ſuppeditant, aliæve rationes atque viæ, quibus doctrina & ſapientia poteſt comparari: nō tum ad diſcendum externa quærit adiumenta; ipſe ſibi auctor, doctor, & magiſter; ſibi ipſe ſuggerit atque ſuppeditat, & quaſi manibus ſuis format & effingit ſapientiam; ex ſe ipſe gignit, profert, & producit, ſeq. ad eam excitat, inflammat, accendit.

5. *HE. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.*

IDEMQVE ita operoſus eſt, & in actione totus occupatus, vt ſimilis prorſus nauibus mercatorum, numquam quieſcat. Nam vti hæ, vbi baiulorum aut iumentorum uis ſufficere non poteſt, frumentum & merces omnis generis è locis diſiunctiſsimus comportant: ſic etiam is cibum illum ſuum, verumq. animarum victum, alimoniam, Dei cultum, pietatē, ſapientiam *De longe* vſque deducit. quoniam vbi degit, vbi viuit, non inuenit eā quaſi frumenti menſuram, qua eius animus indiget, ſaturari enim cupit, cum ergò eam cibus deficit, nō deſidiæ ignauiæue ſe dedit, ſed excitat potius vt alienas prouincias ſollicitet; Αἰσχρὸν γάρ, ait Iſocrat, τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπεραῦ ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους, μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τὸ βέλτιον καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν.

διάνοιαν: Turpe est mercatores, tot tantaque maria traijcere, vt opes & & facultates augeant, adolescentes verò, nullas peregrinationes suscipere, vt animos meliores reddant, & cognitionem doctrinamq. vberiorem acquirant. Aestùans ergò sapientiæ desiderio, quod illam quiescere nullo modo sinit, è locis disiunctis. Arcanarum rerum commentarios, doctores & magistros, cæteraq. omnia monumenta sapientiæ, comportari curat; itaque *De longe portat panem suum*.

6. VAV. Et de nocte surrexit deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

NVLLO labore fatigatur, aut frangitur; nũquam otiosa est; vberes producit pietatis fructus; nil de Dei cultu, nil de sua comparatione deminuit; quin vt cursor aliquis velox & expeditus, ad sapientiæ comparationem se accingit *etiam dum est nox*, nullum temporis punctum prętermittit nil de cõtentione remittit. Noctem porrò, vt tempus studijs accommodatissimum in primis nominauit. Tum enim curis soluti & liberi, totoque animo ad Deum conuersi: dulces illos sermones cum illo commiscemus. Itaque Veteres Hebræi: Non est legis Diuinæ iubilatio, nisi in nocte. *Prędam* verò *Domesticis & ancillis cibaria* siuè de mensa tribuere nil aliud est, quàm viribus & facultatibus corporis non detrahere & auferre partem suã; Ancillarum corporis facultatum & virium, siue sensiles siue rationales illæ sint munia & munera implere, id est legitimè regere & ex Diuinæ legis præscripto moderari. *Domum* enim vocat corpus, animæ domicilium; *Ancillas* verò, quarum est imperio adesse, seruire, ministrare: facultates Rationales, quibus *CHOK Diurnum suum*, debitam cuiq. tribuit partem & portionem. Facultates porrò, & vires animales, brutas, materiales ducere, moderari, regere, alere cibario ac demenso *suo*, proprio debito, necessario, ac legitimo.

HOC igitur est *Dedisse escam domui*, eas facultates vti decet, vt eis cõuenit regere, frenare, coercere. *CHOK* verò Demensum, Dei leges, præcepta sapientiæ, ac disciplinæ canones & regulas præscribere.

QVIN etiam *SALAL prædam* fortasse vocat Cœlorum regnum, vim enim illud patitur, & violenti rapiunt illud. Certè magna vis ad id adhibenda nobis est. Illam igitur quietis suæ *Domum*, & vitam vitalem, *Prædam*, Animæ, inquam, cibum vocat; *Cibaria* Pensum tantum, res, inquam, omnino necessarias *Ancillis* Viribus corporis quas sensiles & animales vocant; *Cibaria* vt reficiantur vires, non opprimantur, non effrenatè & immoderatè iactentur.

NON ergò præter modum, inquit; sed *CHOK* Diurnum, quod earum vsus postulat, quod dari sibi volunt. Rectè enim id., *CHOK* Diur-

num, pensum, quotidianum cibum vocat, quod naturæ lege, quod iure sibi vendicant, quod suum quasi debitum pendendum illis est, quo denique fraudari legitime non possunt. *Surgere* porrò *de nocte*, nil est aliud quam eo tempore quo pars illa animalis & bruta, in qua feritas est, & agrestis immanitas immoderato obstupefacta potu atque cibo, efferuescit & hinnit. Id verò *Nox* nocturnum certè tempus vereq. animo ipsi ac menti tenebræ & caligo. tum, inquit, illa ad ea quæ diximus, virtutis & pietatis opera euigilat & excitat se.

7. ZAIN. *Considerauit agrum & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam.*

AGRVM, scientiam & sapientiam dicit. Vt enim ex illo panis ceterarumque frugum alimenta corporibus: sic ipsa Sapientia animorum nostrorum quidam Ager est, vnde esca & cibus quo pascuntur. Si ergò sapientiam, quę ad eam quam animo præcepit felicitatem viam sibi aperiat, eoq. deducat, cibum quasi & alimentum comparare cogitauit: in ea cogitatione totus est, de vno eo sollicitus, comparat denique eam & voti compos fit.

DE fructu manuũ suarum plantauit vineam. Quòd id vnum sollicitus me ditatur & curat, quòd omne animi studium & contentionem adhibet, vt magnos sapientiæ auctus & incrementa suscipiat, neque se modo in dies meliorem, quamoptimum & perfectissimum reddat, sed de alijs etiam in Religione & cultu prouehendis sollicitus laborat, & quasi intento digito errantibus monstrat viam, quòd se cæterosq. exemplo suo ad id mouet & adducit, & quasi lumen de suo lumine accendit, & facit nihilominus vt ipsi luceat cum illis accenderit: id totum quantumcumq. est, Dei halitus & adspiratio est. idq. nunc vocat Arcanis quidem & altiss. sensis, *Vinea*, seu Animarum *plantationem*. quo sensu in Arcanis legimus Abraham plantasse *ESSEL* Nemus in Bersebah. Addit enim Diuinus Scriptor quasi explicans: Ipse inuocauit nomen Domini, eiusque religionis & cultus maximus propagator extitit.

NAM studij cælestis disciplinam, aliorumq. in Dei cultu & Religione institutionem, vocat *Plantationem vineę*, Considerationem & sarritionem agri, cuius cælestis ille pater cultor est. Et *ESEL* quod est Nemus, non arbores dicit manu sua seuisse, quasi alteri seculo profuturas; non conseptum aliquem agrum & diligenter consitum; non proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, quasi per ætatem agri in primis colendi studio Patriarcha teneretur; sed Nemus viatoribus, inquit, & peregrinis cibum, potum, hospitium, quibus spirituales cibos, deque vno Deo colendo dulces salutares sermones adhibebat.

ET qui oculos eruditos habuerit: idem à Mose scriptum esse facilè reperiet. nisi enim Nemoris plantationem mysticam & Arcanam suadere vellet: non addidisset: Ipse inuocauit nomen Domini. Quid enim ait Scriptura? Plantauit Abraham nemus, Ipse inuocauit nomen Domini. non indicat apertè nō se aliud nemus dicere, quam Diuini nominis cultum, eiusque religionis propagationē, alioqui enim quid quęso habeat commune studium agri colendi cum diuini verbi semine? quid subacta humus & pura, & suauitas odorum qui afflantur è floribus? quid dimensiones? descriptiones arborum cum boni concionatoris cuius est spiritales cibos ὀρθοτομεῖν, rectè diuidere, solertia ac diligentia? non ergò de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum specie dicit.

QVAMQVAM enim agro benè culto nec vsu vberius, nec specie ornatius quidquam esse posit: non vult Diuinus Scriptor, quasi magnū aliquid diceret, eum se agricolatione oblectasse, & cum esset exacta iam ætate in agris aut arborum vmbris reliquum vitæ tempus consumpsisse. Sed hoc potius, Cum ad vnius Dei cognitionem multos adduxisset, hoc enim est multas in Haran animas fecisse, & in hoc studio ad septuagesimum annum vitam perduxisset, quoniam eius extrema ætas in hoc beatior qua media, quod propter opes & honores sibi à peregrinis habitos, esset honoratior, & quod auctoritatis plus habebat, tamquam ad virum totius regionis ac populi primarium magnus ad eum fieret concursus: quantum spatij sibi à senectutis initio ad mortem vsque fuit, diuini nominis ac cultus fuisse propagatorem eximium. quod vt fructuosiùs faceret, & vt fidelem seruum ac prudentem decet, diuideret in tempore tritici mensuram, omnes venientes hospitio excepisse; quos cum refecisset, meliores cibos illis diuisisse.

PRODEAT Chaldęus nondum quidem Latinis auribus auditus. Parabat, inquit, viatoribus mensam qui cum comedissent: pecuniam & refectionis impensam vt acciperet, precibus petebant; ille vero se quicquam accepturum pernegabat. quin potius, Orate, inquit, eum qui dixit, & verbo tantùm suo extitit mundus. orate inquam coram patre & genitore vestro qui in Cœlis est, de suis donis filij comedistis & bibistis. Neque vero ex loco se mouebant, donec ad vnius Dei fidem & religionem eos adduceret. docebat enim totius mundi rationem, cursum, vicissitudinem; supplicabat & orabat ibidem in nomine Verbi Domini Dei.

AC dici quidem potest, & id fortasse rectius hoc sensu *Plantauit vineā*, quod is quem ad alios eruditēdos & ipsius Dei halitu & aspiratione quasi adflandos Spiritus ille liberalis & munificus accenderit, non satis est si monitis & doctrina sua alios excitet & iuuet: sed etiam vt diuino pręsidio confirmetur ad libros componendos, illustrandas Scripturas. vt qui vi-

uunt, & venturi etiam sunt, illius doctrinæ fructum aliquem percipiant. hoc enim esse videtur, *De fructu manuum suarum plantauit vineam*, Haud aliter ac vineæ plantator manibus suis homines iuuat, sic ille de ijs quæ proprio labore, quæ manu sua scribet, commentabitur, componet, edetq. libros, vnde ad ceteros possit scientiæ & sapientiæ suæ fructus redundare, & quasi bonus agricola arbores: sic libros seret qui alteri etiam seculo prosint.

8. CHET *Accinxit robore lumbos suos & roborauit brachia sua.*

ANIMVS qui ita ex se aptus & comparatus est, laboratque perpetuò felicitatem attingere: nil vnquam de Dei cultu & scientiæ comparatione remittit, nullo vnquam labore fatigatur, sed ad sapientiam omni studio comparandam semper est accinctus.

9. TETH. *Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.*

QVONIAM hærere Creatori, quo nullum est bonum maius aut excellentius, intelligit vnum ac proprium opus esse suum: *Non extinguetur noctu lucerna eius*, id est, ad id totis viribus contendit *Noctem* vero nominat, quod tum in primis curis omnibus soluti, colligendi se Deoque adhærendi tempus sit accommodatissimum.

VEL *Lucernam* dicit, quod in nobis est, diuinum illud spiraculum & lumen id inquit, intima etiam Arcana comprehendit, *Non extinguetur*, allucebit ei potius, discutiet mentis tenebras suaq. luce & splendore eum illustrabit, vt diuinæ legis abstrusa sacramenta penetrare, eaque possit in lucem producere. *Nocte* tempore studijs accommodato; Vel sic; Quoniam negotiationem suam opus inquam illud exercitationemq. virtutis & studium sapientiæ rem esse omnium maximam, Deoque in primis gratam & acceptam intellexit: ad id incumbit omni contentione, neque patitur lucernã suam, Diuinum illud lumen de quo Dauid: Eleuatum est, siue *NESAH* Eleua potius, lumen tuum super nos; & Externi:

„ *Igneus est ollis vigor & cælestis origo*
„ *Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.* Item:
„ *Inque breui spatio mutantur secla animantum*
„ *Et quasi cursores vitali lampada tradunt.* multaq. memini me

in Spudasmatis dixisse. Lumen ergò illud *Nocte* mortis tempore non patitur extingui: quin æterno illo splendore stellarum inquam, vt ait Scriptura, & ipsius firmamenti luce & claritate coruscare.

10. IOD. *Manum suam misit ad fortia & digiti eius apprehenderunt fusum.*

QVID-

QVIDQVID æquum & bonum, quidquid iustum & rectum est, studet opere perficere. Nam *Manum suam misit ad for.* KISOR, Fusum, Rectitudinem, & Aequitatem significat. *Digiti apprehenderunt* PALEC. PALEK Scipionem, Sceptrum Baculum, significat, hoc sensu non se ipsum tantùm, sed alios etiam legitimè reget atque moderabitur; sceptro digna est.

11. *CAF. Palmam suam aperuit inopi manus suas extendit ad pauperem.*

ANIMVS qui in id totus incumbit, vt Deo hæreat & felicitatē sibi propositam attingat: actionibus ipsamet suis *Pauperem*, Intelligendi facultatem quæ pauper est & inops adiuuat suffulcit. Idem porrò repetitur; *Ad pauperem extendit manum suam*. Eò diriguntur actiones & cogitationes suæ, vt eandem diu seruet, quod fit pane diurni sui, doctrina, sapientia, pietate, Dei cultu, & religione. sic enim finem sibi propositum ac destinatum attinget.

12. *LAMED. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, quia omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

NEQVE vero is de æterna beatitudine sollicitus timebit fortunæ iniurias aut varietatem temporum, non vllas calamitates quæ solent frequentissimè ingruere, non malignos syderum meatus, & concursus, nō illas quæ quasi niuium quædam tempestates cælitus in terras demittuntur vltrices scelerum nostrorum pęnas & vindictas: *Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*. Est enim aduersus omnes eiusmodi acerbitates & iniurias, præclaris actionibus, vt quibusdam indumentis tectus & munitus; posuit inquam omnē operam & studium suum in rebus cœlo maioribus, dominatur astris, est Sole, est tempore superior, non iam Planetarum non corporum cęlestium subiacet influxibus, *Omnes domestici eius vestiti sunt coccineis*. Coccum vocat Actiones exercitationesq́. virtutum quæ liberent *à Niue*, miseris casibus, euentis, fortunæ iniurijs & calamitatibus, his omnibus *Coccinea* obiecit & opposuit.

13. *MEM. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentū eius.*

VESTES sordidas, animæ inconcinnas, eiusque præstantia indignas reijcit à se, induit vero candidas, bonos mores, actiones Deo gratas. nam pessimi mores pulchram animam tanquam cæno collinunt. Qualitates ergo præstantesque virtutes, vt quædam monilia sibi circunducit, quippe *byssus & purpura* vestes sunt quibus ad splendorem & gloriam vti consueuimus.

Nobilis

14. *NVN. Nobilis in portis vir eius quando sederit cum senatoribus terræ.*

QVOTIESCVNQVE de sapientia erit illi habendus sermo, notus & clarus, magnum sibi nomen & gloriam comparabit; nam & præstantia doctrinæ & admiratione virtutis, erit in summo honore, aperiet os suum, erit disputator subtilis, ingeniosus acer vehemens neque abdet se, ipse se prodet. Contra verò qui remissus est & piger; de quo scriptum est: In porta non aperiet os suum. Vel *Notus in portis,* quia qui eiusmodi morum sanctitate est insignitus, & præditus, cuius omnes actiones eò tendunt, vt sit Patri & genitori suo quàm simillimus, eiq. vni hæreat: in sapientum cœtu atque conuentu veluti in portis erit notus & clarus. Nam eum nil aliud præter sapientiam sibi proposuerit, cum solis agit & versatur sapientibus; ijs se oblectat; & cum ad id vnum inuigilet, & totis viribus incumbat, vt cum virtute coniungat sapientiã: magnos in vtraque progressus facit. Quemadmodum ergo ait, è locis vbi habitant, quidam noti suut, alij ex persona quam sustinent: sic qui ita ex se comparatus est, ex eo nomen & celebritatem habet, quod vigilet ad sapientiæ fores, sedeatque cum sapientibus: Vigilat, inquiunt, ad fores sapientiæ sedetq. cum senioribus terræ.

15. *SAMECH. Syndonem fecit & vendidit cingulum tradidit Cananęo.*

TANTVM abest vt quicquam de contentione remittat, vt & alijs etiam opera & labore suo prodesse velit. hoc enim Arcano sermone dicit, *Syndonem facere et vendere.* Virtutes enim & pręclaras actiones, ad quas exemplo suo ceteros inducit, quo tegi solent homines, syndonem appellat. *Cananæo,* Etiam parti in nobis brutæ & à ventre matris maledicto Canaam, qui sic comparatus est, vt seruorum, id est virium, & facultatum intellectilium seruus sit, huic, inquam, non denegat pensum suum, non subducit alimentum & panem demensi sui.

IAM hùc fortasse refert appellationem *Cinguli* vt Canaan, carnis concupiscentiam dicat prauumque figmentum, cuius petulantiam frænat & coercet ne immoderatè efferatur & exultet. Castigo, inquit, corpus meũ & in seruitutẽ redigo. atque hoc innuit non se illud constringere, non frænum & vincula inijcere, nisi è Diuinæ legis pręscripto, quantum quidem ipsa statuit, & iubet. non enim se necessaria, & illi suo quasi iure debita subducere. Vel *cingulum* etiam nominauit quod contra illius effrenatos motus & impetus quasi frænum inijciat, Duo enim præcipimur, & lumbos præcingere, & lucernas in manibus tenere.

16. *HAIN. Fortitudo & decor indumentũ eius et ridebit in die nouissimo.*

HVIVS indumenta, vestes, mores, affectiones *Robur & fortitudo*, idest, præcellentes & egregij, decentes, dignißimi, non sordidi & humiles qui animi indignitatem & vilitatem ostendant. Id n. omne est HADAR.

RIDEBIT in die nouißimo nam quæ eiusmodi vestibus erit ornata, diē mortis plane contemnet, non timebit vlla supplicia. Vel *nouißimo*, Vitæ exitu, cum è corpore excesserit, oblectabit se; rectà enim ad lucem & claritatem æternam terramq. viuentium proficisci se videt.

17. *TE. Os suum aperuit in sapientia, & lex clementiæ in lingua eius.*

CAVET à verbis superfluis, de sapientia tantum, aut quæ ad eam inducant illi sermo est, cæteris omnino abstinet. Vel *CHOKMAH* est Sapientia Diuina quam hoc libro sine vlla connotatione absolutè vocat Sapientiā. Ergò Diuinam sapientiam, id est, Dei legem discere, & comprehendere laborat, illius præcepta tanta cum sapientia coniuncta custodire. Cognoscit, inquam, neminem posse felicitatem attingere, nisi ex pręceptorum obseruantia, nam ijs tanquam radicibus continentur omnes scientiæ & rationes credendorum.

PORRO Diuinam legem *Clementiæ* legem vocat, quod tota quanta est, quædam Dei bonitas & clementia est. quæcumque in ea nobis præcipiuntur bono nobis, vsuique sunt, quoad quidem hic viuimus, vitā verò æternam præstant in futuro. eam vero dedisse, & ex ea in corde omnium nostrorum, æternæ vitæ quasi arrabonem figere & plantare voluisse: vnius clementiæ fuit & illius bonitatis magnitudinis.

18. *SADIK. Considerauit semitas domus suæ & panem otiosa non comedit.*

IAM, inquit, ex hoc mundo, in quo sibi laborandum esse intelligit, cū tota sit in actione & exercitatione virtutum: alterius domus *Domus* inquam *SVAE*; in qua sibi tandem cōquiescendum esse videt *Semitas* speculatur & prospectat. Nam qui stulti sunt & consilij ac sapientiæ egentes atque inopes, quoad quidem in hoc mundo sunt, nulla istarum rerum cogitatione tanguntur; non cogitant exitum suum, & quonam modo ex hac vita discessuri, aut vbi nam tandem quieturi, quis eorum status sit futurus. At iustorum animi qui omni studio conati sunt hærere creatori, iā hic pręcipiunt animo atq. intuentur finem suum; prospectant illud iter sibi conficiendum; cumq. probe intelligant etiam breuiter ingreßis opus esse viatico, multò etiam magis è vita discedentibus, de virtutum comitatu sibi cogitandum esse vident. atque hoc est *SOFIIAH* tanquam è specula prospectare *Semitas domus suæ*, non hic habere se domum permanētem, sed futuram inquirere. eò igitur referre actus & cogitationes suas, id vnum animo versare, ac reputare, & quomodo, quà, quòue sit proficiscendum,

ſcendum, quæq. ſibi quietis domus ſit futura, itaque in vero Dei cultu & pietate, ſapientia comparanda nullis vtetur ceſſationibus, etiam in ijs quæ ſunt corporis, ſumendo, inquam, potu & cibo haud lentè ſegeret, magnam quandam feſtinationem adhibebit.

19. QVOF. *Surrexerunt filij eius, & beatiſsimam prædicauerunt vir eius laudauit eam.*

FILII, Intelligendi vires eam beatã prædicant, opera, inquit, eius de quibus præ cęteris beata & laudabilis extitit: erunt Deo grata. *Filij* diſcipuli, quos exemplo ſuo ad beatitudinem adduxit & animas quas genuit ſapientia ſua, hi ipſi eam felicem & beatam reddunt. *Filij* qui felicitatis viam ab ea didiſcere, ipſi prædicant beatam; duplò vberiorem efficiunt eius mercedem. *Vir* autem intelligendi facultas laudat eam, agnoſcit, ſcilicet egregijs ſuis virtutum actionibus factum, vt ſancto vnctionis oleo pfuſa ſit. Vel *vir*, eiuſmodi animus laudes omnino pręd icat ipſe ſuas.

20. RES. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

FACVLTATES animi quæ in intelligendo verſantur, cum ad eã celebrandam quæ tantam felicitatem & bonum conſecuta eſt conuertuntur: *Multæ*, inquient, animæ conatę ſunt felicitatem iſtam attingere, multæ in eo laborarunt, tota mentis acie id vnum contenderunt, & quamuis ſapientiam ſibi compararint, magna alioqui conſecutæ ſunt: at tu *ſupergreſſa es vniuerſas* ſublimius aſcendiſti, altiora comprehendiſti, maiora complexa es; certe eouſque prouecta, vt cæteras omnes contemplando, intelligendo ſuperaris. Atque hoc ideo, quòd ſapientia ſcala quædam eſt qua in Deum conſcenditur, & quò plures ſcalæ huius gradus quis confecerit: proprius accedit. qui verò promeritus ſit gradus omnes conſcendere: inueniet proculdubio Angelos aſcendentes & deſcendentes, Deum verò ipſum innixum ſcalæ, atque hoc eſt, *Tu ſupergreſſa es vniuerſas*, Attigiſti, inquam, eam perfectionem quam tibi propoſueras.

21. SIN. *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur.*

HAEC item: *Fallax gratia & vana eſt pulchr.* vſurpabunt in ea laudanda, quæ beatitudinem attigerit. Nec ob ſapientiæ magnitudinem hanc enim *Gratiam*, dicit, nec ob morum ſuauitatem, quæ nunc vocatur *Pulchritudo*, factum eſt, vt & Deo hæſerit, & felicitatis compos fuerit. Duo enim hæc, quantumcunque ſint admirabilia, ſola tamen non ſufficiunt. Sed ea vna cauſa eſt, vt ligata ſit in faſciculo viuentium, quod Dei timorem cum ſapientia & egregijs moribus coniunxerit. Hic enim mandatorum

datorum omnium opus & obſeruantiam complectitur. quæ cum radices certè ſint, vnde vti ſtolones quidam, ſcientiæ & credendorum omnium rationes producuntur: etiam eorum omnium prohibitionem à quibus fugiendum nobis eſt, continent & complectuntur. idcirco cum tria iſta comprehenderit, & cum ſapientiæ comparatione, Dei timorem & mores optimos coniungens adhæſerit: Deo ſuo, tum verò eſt omni laude & celebratione digniſsima.

22. *THAV Date ei de fructu manuum ſuarum & laudent eam in portis opera eius.*

CVIVS fælicitatem & merita, vt quæ hæſerit Deo ſitque in gloria ſanctorum, *Filij*, ceteræ, iuſtorum animæ, vel Angeli etiam ipſi prædicabunt; vel Deus planè ita præcipit: *Date ei de fructu manuum ſuarum*. Huic inquam, quæ in lachrymarum valle adeo laborauit, quæ tanto ſtuduit opere ſcalam conſcendere, & diuinarum rerum diſquiſitione & comprehenſione ſaturari: *Date ei* laboris, *Date* virtutis, *Date* bonorum operum mercedem & fructum, oblectet, inquam, ſe bono illo, Dei timentibus & quærentibus nomen ſuum, parato & abſcondito. *Laudent eam in portis* Locis omnibus vel *Laudent*, non neceſſe habet ſe ipſa commendare; vel minime opus eſt, vt alij eam laudent, externis laudibus non indiget, cum vel omnibus tacentibus præclara eius opera, eam abunde commendatura ſint.

FINIS II. EXPOSITIONIS.

IN IDEM SALOMONIS ALPHABETVM

ΚΑΤΑ ΛΕΞΙΝ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΠΟΔΑΣ,

idest, humilis & simplicis interpretationis,

AD S. D. N. SIXTVM QVINTVM PONT. MAX.

Bartholomæi Valuerdij Sacræ Theologiæ Doct. Tertius Commentarius.

SANCTVS AVGVSTINVS.

QVANDO ex iisdem Scripturæ verbis non vnum aliquid, sed duo, vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit is qui scripserit: nihil periculi est si quodlibet veritati congruere, ex aliis Scripturę locis doceri potest; quid enim Diuinis eloquijs potuit latius & vberius prouideri, quam vt eadem verba pluribus intelligantur modis? qui aliis non minus diuinis probentur.

ARGVMENTVM.

QVONIAM maritale coniugium quemadmodum scriptum est a Xenophonte, sic natura comparatum est, vt non solum iucundissima, verũ etiam vtilissima vitæ societas iniretur, & sæpe Salomon: Qui bonam vxorem inuenit magnum ait consequi bonum; possessiones rursus & diuitias, sæpe a parentibus nobis relinqui, a solo autem Domino bonam vxorem, illiusque solius dono & beneuolentia nobis contingere, videri possit hic Beth Sabeh Salomonem filium præmonere, diligentissimè sibi obseruandum & cauendum, quam sibi vxorem adsciisceret. & quoniam Dei potius benignitate & beneuolentia, quam vlla homini industria posset comparari, commendaret id Deo, bonamque vxorem & piam precibus ab eo exoraret. Itaque de illius constitutione animi, & sermonum & ratione, quam mulier sancta, casta, pia seruet tota vita, deque illius officio erga virum totamque familiam agere, alicui fortasse videatur copiosius.

IN

IN IDEM SALOMONIS ALPHABETVM

ΚΑΤΑ ΛΕΞΙΝ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΠΟΔΑΣ,

idest, humilis & simplicis interpretationis,

AD S.D. N. SIXTVM QVINTVM PONT. MAX.

Bartholomæi Valuerdij Sacræ Theologiæ Doct.

Tertius Commentarius.

1. *MVLIEREM fortem quis inueniet? procul & ab vltimis finibus pretium eius.*



QVIS est is tam potens, tam fortunatus & felix tamq. Deo charus, vt mulierem bonam possit reperire? illud enim *Quis inueniat*? hoc sensu dictum est: Si quid vsquam arduum & difficile existit, multisque & magnis difficultatibus obseptum, si de eorum numero quæ nunquam solent, aut quam rarissime contingere: vnum planè est, quam describere aggredior mulierem posse reperire. estque omnium longè difficillimũ huiusmodi negotiationis fructũ percipere, talis tamq. pretiosę mercis aliquando esse compotem, vt sit magis in promptu preciosas margaritas reperire, quàm cui maritus omnia confidat, quæque marito vicissim bonam gratiam referat, cæterisque sit prædita & exornata dotibus quas iam sum commemoraturus. Felicem terque beatum qui in eiusmodi mulierem inciderit; quod si potis sit eam reperire: hæc tantũ cæteris omnib. precellet, quantũ lapidibus cæteris prestant margaritę.

2. CON-

2. CONFIDIT *in ea cor viri sui & spolijs non indigebit.*

NAM cum nihil vereatur de eius pudicitia, quam sciat esse à viris remotissimam, neque ab ea familiæ probrum aut dedecus sibi pertimescat: nihil est quod de cæteris quæ in rei familiaris administratione contingēt, sit admodum sollicitus. posuit in ea omnem spem suam, neque porro eū spes fallet. nihil enim illa priuatum sibi ducet, nihil deteret, & marito suffurabitur. An enim dissipabit rem viri, quem videat sibi planè confidere?

ET Spolijs non indigebit quin potius dies noctesque adeò laborabit, vt intelligat maritus nil sibi defuturum. nam præ vt est operaria diligens, sollicita, naua & industria, vt se gerit strenuè, etiam quæ viro necessaria sunt, sine illius opera est potis reperire, potis est perficere, vt præsto illi sint, ita vt nulla re ipsius vir indigeat. Nam annuos sumptus, & cuncta domui necessaria, vt *Prædam* paulopost: sic nunc Metaphora bellica vocantur *Spolia*. De nocte, inquit, surrexit deditque predam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Vt milites spolijs expugnata vrbe, aut hoste superato, sic familia bonis omnibus circumfluit.

CVM ergo matrona diligens, & industria, cuius opera ad domesticam custodiam & diligentiam uir semper necessaria, quæ domum cumque inferuntur, diligenter inspicit, ne delibata sint, & ita explorata, atque inuiolata recipit; tum separat quæ consumenda sunt, & quæ super fieri possunt curat custodire, ne sumptus annuus menstruus fiat: tum *Spolijs minime indigebit eius vir.*

3. REDDIDIT *ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

ETIAM si contingat a viro male accipi, non illa malum regerit, aut causam damni dat, etiam male accepta nihil damni affert viro.

BONVM & non malum. Non odiosa & procax, non sumptuosa, non vaga, nec auersa à mariti contubernio; nec rursum intra tecta deses & mariti complexibus semper adiacens, à vino, ab escis, à superstitionibus, à somno, à viris, sumptu & luxu remotissima.

Egone eam ducam domum.

„ *Quæ mihi hoc dicat, eme mi vir lanam, vnde tibi pallium*
„ *Malachum & calidum, conficiantur tunicæ mihi hibernæ bonæ,*
„ *Ne algeam hac hyeme, hoc hoc nunquam verbum ex vxore audiam*
„ *Da mihi vir Kalendis quæ mittam cum Martiæ venerint*
„ *Et prius quam galli cantent, quæ me somno suscitet*
„ *Da qui faciat, qui condiat, da quod dem Quinquatribus*
„ *Percantatrici, collectrici, ariolæ, atque aruspicæ.*

» Fla-

" *Flagitium est si nil mittetur, quo supercilio spicit*
" *Iam pridem quia nil abstulerit, succenset cellaria,*
" *Tum obstetrix expostulauit mecum, parum missum sibi*
" *Quid? nutrici non missurus quidquam? quæ vernas alit*
" *Hæc atque huius similia damna multa mulierum*
" *Nunc vxorem prohibent mihi & quæ huius sermonis erunt.*

hæc vero cerua amorum, & hinnulus gratiarum laborat vt quam diligentem operam famulæ intra tectum impendant, lana ac tela se exerceant.

5. *FACTA est quasi nauis institoris de longe portans panem suum.*

IAM iis omnibus prædita & ornata virtutibus, vt tanto *CHAIL* titulo & appellatione digna sit: similis prorsus esse debet nauibus Mercatorum, quæ varias merces conuehunt è locis longè dissitis; sic illa, non modo cùm vicinis exercet mercaturam, neque ab iis tantum lucrum quærit: sed etiam *DE LONGE PORTAT*, est illius apud exteros & ignotos celebris industria, & illius diligentiæ fama longe lateque peruagatur. nam quæ neuit cumque, quę glomerauit, quæ bysso & molli bombice laborauit: vbi nouit ea pretium habere, eò mittit. Itaque suo labore annuos sumptus minuit; ex quo tãta solet cõfici pecunia, vt sæpe possit domesticis necessitatibus sufficere. Itaque in ancillis exercendis pensis tribuendis, exigendis, tanta illius sedulitas & cura, tantumque in opere faciundo operæ consumit suæ: vt in magna caritate annonæ, quas sibi opes & facultates labore comparauit, ex iis victui necessaria, magna scilicet impensa, longissimè curet adduci.

6. *ET de nocte surrexit deditque prædam domesticis suis & cibaria ancillis suis.*

SOLET ergo ante auroram surgere, neque mollis & delicata dormire in multam diem. quod si post lucem interdum obdormiscere contigerit: postquam surrexit intermissum opus compensat diligentia. Ancillas porro & vernulas, vti discipulos bonus Magister & præceptorum sedulus exactor, ad laborem excitat. porro prævt sapiens est omnesque captat temporum articulos, vt nihil sibi velit deperire: ante quàm ad opus se accingat, ne turbari opera contingat, quæ in eo ancillæ exercendæ sunt, iis pro earũ robore lacertis, vigore, habitudine, pẽsa legitime distribuit; qui verò manu indigent infantes, in os præmansum illis cibum ingerit.

7. *CONSIDERAVIT agrum & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam.*

TAM strenuè se gerit, sic est ad faciendam rem attenta, tanta est illius

lius industria & diligentia, vt è quotidianis operis cum quęstum se fecisse videat: vt cogitet etiam agrum comparare, denique comparet. Quin nullo labore, impensis, aut difficultate deterrita, quod grauius, operosius, sumptuosius est; sedulitate & eximia sua diligentia etiam plantet vineā.

8. ACCINXIT *fortitudine lumbos suos & roborauit brachia sua.*

IN omnibus illustræ diligentiæ suæ præbet testimonium. quidquid est agendum non lentè, aut pigrè agit, sed velocissimè, vt qui ad exequendum aliquid, celeriter agendum velox & expeditus esse cupit, accingit lumbos suos, sic enim est agilior. perinde etiam illa ad opera se comparat, vt pro veste ipsum sibi robur videatur induisse.

9. GVSTAVIT *& vidit quia bona est negociatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.*

EO quod laboris sui percipit bonum gustum, ab eo tempore quo negociationis suæ fructum gustare cępit: non extinxit lucernam suam; die noctuque laborat, & ne minimum impediatur, accensam etiam habet lucernam.

10. MANVM *suam misit ad fortia & digiti apprehenderunt fusum.*

FACILEM & complanatam insistit virtutis viam. nunquam non operatur; & quamquam in consuetudine positum non sit, vt mulieres ad Reipub. gubernaculum accedant, hæc tamen PALEC Sceptro & imperio digna est; neque satis est haberi aptam & idoneam ad tuendam familiam, reiq. familiaris esse columen, & præsidium: imò iura dare potest, administrare prouinciam; Est enim PALEC Regio Prouincia, Tractus, siue Palatium. est & Baculus ac scipio, vt ibi: Non deficiet de domo tua sustentans PALEC Baculo idest claudus. Item PALEC. Fusum, Verticulum, siue Vertibulum, vt dicat, Assidua est in opere, glomerat semper aut net, aut certè torquet fusum.

11. MANVM *suam aperuit inopi & palmas suas extendit ad pauperem.*

BENIGNA, clemens ac misericors, facile condolet pauperum necessitatibus, bona est natura, miserorum & inopum misericordia tangitur, nam cum Deus multa de pauperibus præceperit: si quempiam fortunis excedisse videt, extendit ad eum manum suam. *Manum suam aper. in.* Inopi vna manu largitur, at pauperem vtramque prehendit, erigit, sustentat, Ita solicita est atque opere laborat, vt eorum necessitatibus subueniat

ueniat & miserias subleuet pro viribus. Aliter *Manum suam ape.* si quem ad ianuam videt manu propria cibat, non mandat suis eam curam, neq; per ancillas facit. Vel *Man. su. ape. in.* Etiã manuum suarum quæstum pau peri mittit. Vel *Man. su. aper.* aperta est illius manus, liberaliter & hilariter porrigit, contra illud: Ne constringas manum tuam quasi dicat, maxime aperies. Vel *Man. su. ape.* Cibos palmis suis diuidit, dat pauperi, eosdem in manus sumens, mittit inopi.

12. *NON timebit domui suæ a frigoribus niuis, omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

VT nix non possit penetrare vestibus coccineis est vndique munita. neque porrò timet domesticis ne algeant, quũ sint commodè induti ad frigoris iniurias. & quia Coccinea colore referunt ignem, etiam fieri potest vt hoc dicat, Illius Domus angulis micat & resplendet flamma ignis. si velis eo accedere, non timebis frigus, multus ibi splendet, multus crepitat ignis, sunt etiam parietes tapetibus vestiti.

13. *STRAGVLATAM vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius.*

IPSA sibi subtilissimum linum, ipsa purpuram, & stragula tenuissima facit, suis manibus texit. non se & familiam vestitam modo, sed etiã cultam & ornatam curat. Collo *MARBADIM* torques aureos, lecto vela pensilia circumducit, neque aliis vestibus vtitur quàm bysso & purpura. Item *MARBADIM Stragul.* Insignes sibi conficit vestes, pulcherrimas, eximias, *MARBADIM* ostro auroque rigentes. nam byssum & purpuram contemnit & spernit, *LEBVSAH* habet prorsus despicatui, persona sua indignas esse ducit. nam *LEBVSAH* Ad contemtum, &, Indumentum eius, dici potest.

14. *NOBILIS in portis vir eius, quando sederit cum Senioribus terræ.*

HVIVSMODI fœminæ vir est Celebris & Clarus, magno est in honore inter Iudices.

15. *SYNDONEM fecit & vendidit, & cingulum tradidit Cananeo.*

TELAS, omnisq. generis pallas & penulas facit, non modo vt domesticis, sed vt aliis etiam sufficiant, tradit enim mercatoribns, qui nomine suo vendant, vel vendit potius ipsa.

16. *FORTITVDO & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo*

NON est tenera, delicata, mollis, quæ est aliarum natura fœminarũ

non cæterarum similis est, sed in opere faciendo robustissima. Illius actiones præclaræ & insignes, ab omni turpitudine longissimè remotæ. est enim Hyperbole. adeò præclaris & honestis operibus studet, vt pro uestibus decore & pulchritudine videatur vti, iuxta illud Assueri: Afferantur vestes Regales; aut, *LEBVSAH* erit participium (*Induta.*) ipso gloriæ ac decoris indumento videtur esse vestita.

ALITER: Brachiorũ, & corporis totius vires & Lacertos *LEBVSAH*, pro nihilo ducit. non enim studet aliis vim afferre, aut impotenter dominari; non iactat speciem corporis; operum tantum, actionum excitationumq. suarum æquitate & honestate gloriatur. *Ridebit in die nouiß.* Non famem aut pestem, non cæteros casus & euenta quæ repente solent ingruere, pertimescit. habet paratas opes & subsidia, non senectutis inopiam, non ipsum mortis diem, cùm præmij potius spem certam conceperit, quin lætatur potius quod videat se, operum virtutisq. suæ mercede & præmio afficiendam.

17. *OS suum aperuit insapientia & lex clementiæ in lingua eius.*

SAPIENTISSIMA est. sapientiæ videtur quasi veste circumcincta. Neque ad vana & futilia aperit os suum, sed sapienter loquitur. non ita vociferatur & clamat, vt præter decorum foris audiatur, non tonat & quasi grandine proluit familiam. Benignè, placidè, & sapienter loquitur. certè nil aliud quam de lege Dei, quæ tota quanta est, ipsamet clementia & sapientia est.

18. *CONSIDERAVIT semitas domus suæ & panem otiosa non comedit.*

SVBINDE recognoscit atq. considerat *semitas domus suæ*, ne aut supellex vestisve condita situ dilabatur, aut fruges, aliave vtensilia negligentia desidiave sua corrumpantur; non solum vt idoneis salubribusq. locis recondita sine noxa permaneant, quæ domum inferuntur: sed loca ea præparare vbi quidque reponatur; omnia circuire, cognoscere, rationem inire, rem domesticam strenuè administrare, cauere ne quid iniuria pereat, aut domus dilabatur.

ET quoniam Agrum emerat, plantauerat vineam, tempestatis tempore, diebus pluuiis *consider. semit. dom. su.* curat dolia lauari, picari, frumentum transferri, semen purgari, quæ paranda sunt parare, non prius cibum capere quàm opere se exercuerit, & familiæ egregium suæ industriæ exēplum exhibuerit. Item *consider. semit. dom. su.* Vias mercatorum publicas, si forte veniant ad exercendum mercaturam ex specula prospectat. *Vel SOFIIAH* respicit itinera, vt videat vltrò citroque commeantes, si fortè ali-

tè aliquid asportent sibi necessariũ. Vel sic, *consider. sem.* propriæ domus an gulos inquirit, domesticorum mores perscrutatur, num ex virtute viuant, rectè se gerant, sin minus in viam ducit. quin omnibus operibus cauta prouidens est, *& panem otiosa non comedit*, neque pigrè aut socorditer agit, cęterarum more, quæ totam diem in mensa consumunt. illa vti citius ad opus reuertatur, velociter se expedit, festinanter cibum sumit. Ac fortasse ipsam Pigritiam, *panem* vocat *HACELOTH* pigritiarum; vt dicat eam nullo modo pigram esse aut desidem.

19. *SVRREXERVNT filij eius, & beatißimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.*

NEQVE vero huic quod cęteris contingit, quas ob malignam natu ram & difficiles mores, oderunt maritus ac filij; neque vero se possunt cõtinere, quin eam omni sermone & oratione detestentur, quin aliis conque rantur infelicitatem suam; hanc vero ipsimet fatentur & prædicant beatam, morumque suauitatem laudat maritus. Vel hoc dicit, filios vteri pro prij esse ei quam simillimos, neque vllum existere qui matrem moribus dedecoret. *Beatißimam prædicauerunt*, Cum adoleuerint ob morum suauita tem & bonitatem naturæ, fatentur matre dignos, matri similes filios. etiã tum optabilem materni corporis temperaturam κράσιν & conformationem ostendunt. nam cuius ex sanguine coaliti concretique sint, qui bene moratos vident: cum animi mores corporis κράσιν sequantur, laudant bonam temperaturam matris, nam qui mali, proterui atque peruersi sunt, eiusdem esse naturæ ac temperaturæ matrem præ se ferunt.

20. *MVLTAE filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

HAEC itaque filij, hæc maritus prædicat. Multæ ingenio, industria & solertia sua opes sibi quæsiuerunt. vel, Multæ sunt quarum singulas si acceperis: mulieres *CHAIL* dici possunt: at tu sola omnes dignitate antecellis.

21. *FALLAX gratia & vana est pulchritudo, mulier timens dominum ipsa laudabitur.*

INVENIAS etiam forma quadam fœminas egregia, sed vanum etiam id, neque de eo laudabiles existunt. quid enim ad eas ex forma vtili tatis redundat? spectatorum oculis oblectamento sunt, & quantumuis pulchræ, si boni absint mores nihil planè sunt. At Dei timẽs mulier, est om ni laude & honore dignissima. Vir, filijque dicent: Hæc quam commenda mus, etiam si gratia formæ prædita, vt de eo laudem mereatur: vtrumq. vanum est, neque de eo laudamus, sed quod magno quodam & eximio

Dei

Dei timore sit prædita; ita vt omnis gratia formæ, decor & insignis pulchritudo qua abundat, si cum Dei timore, qui cęteras illius virtutes longissimè excellit, comparetur: longè inferior est, haud magni, imò nihili potius ducenda. vel, Timor tantum Domini, is per se commendandus, quasi dicat, In multis illius eximiisq. virtutibus vnus timor Domini, qui ad eiusmodi actiones, de quibus laudatur mouet & impellit, vnus, inquã, ille est laudandus, celebrandus.

22. *DATE ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.*

QVANDO his omnibus est prædita, tantum fuit in virtute solicita remque familiarem auxit: rependite ei mercedem vti digna est, & eius morum suauitati, vt virtuti, bonitati debetur. benignè facite, & in honore deferendo estote liberales, hilares, profusi. Id enim omne illud est, quod manuũ suarum labore sibi comparauit, promeritaq. est, Vel sic: Nullius deinceps laudibus, nullius vsquam hominis commendatione indiget, ipsa illius opera & actiones eam prædicabunt, ipsæ clamabunt, palam publicaque omnium consensione omni prorsus laude & commendatione dignissimam.

PRO SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO vota precesque.

ÆTERNE omnium genitor ipse non genite opifex, & causa mundi, qui templa tibi & aras penetralibus te timentium mentibus condidisti, tu SIXTO V. humanarum rerum domino, diuinarum arbitro eiusmodi amoris tui ignes accende, vt nihil in processu segnior factus, celeriori quàm cœpit cursu omnium bonorum studia & voluntates superet; & quoniam in gubernando grege videmus attentissimum: meminerit rerum ad veram nominis & honoris tui gloriam in cursu tantæ celeritatis adhuc relictarum; tuq; supremus Imperij & consiliorum eius conscius, & arbiter, & auctor, hoc nostris precibus, hoc senectuti eius indulge, vt æternam hanc Filij tui Sedem non magis maiestate sua quàm æterno tuo munere splendidam atq; præfulgentem, inopinatis auctibus & incrementis ampliorem & illustriorem reddat.

FINIS.



DE B.ma VIRGINE IN PSALM. LXXXVII. COMMENTARIVS.

FVNDAMENTA EIVS IN MONTIBVS SANCTIS.



QVEMADMODVM negotiorum omnium consultationes & consilia, quæ ipsarum actionum sunt aditus & initia, sic Hebræi scriptores de re ipsa Argumenta librorum appellant *Fundamenta*. sunt, inquiunt, libris tituli & argumenta, quod consilia rebus gerendis, quodque ædificiis fundamenta. Itaque cum Psalmorum inscriptiones eorum materiam contineant, & quod hic positum est: *Fundamenta eius in montibus sanctis* pars sit Tituli: perinde est ac si diceret, *Eius*, Psalmi inquam, quod nomen præcesserat, Argumentum & materia, sunt *montes sancti*, estque sublime hoc carmen de eorum laudibus editum. Christum porrò & sanctiss. eius Genitricem *Montes sanctos* dicit.

ACTVRVS enim de illius natiuitate carnis, num debuit eam silentio præterire, quæ Deum carne circumdedit, & vestiuit extrinsecus? agens de vitæ fonte: tacere de ipsius vitæ fontis fonte & origine matreque viuentium? de Rege Regum, non ipsius Regis palatium sacrosanctum, & aulam filij Dei concentu suo diuino celebraret? & quamquam prò dignitate laudandæ par esse non posset, experiundi spe, potius quàm perficiundi voluntate, non illius maiestatem admirabili illa musica, neruorum vocumq. cantibus, quibus posset cũq. verbis Diuinus ille Psaltes celebraret? quis vllius vnquam Principis natales cõmẽdauit, quin parentes ipsius modis omnibus laudaret? matrem vero in primis sæpius attingeret?

AGI vero de natiuitate carnis filij Dei, testantur Græci & Latini patres Orthodoxi, è quibus hausta sunt Scholia Græcæ prophetiæ, LXX. inquam interpretum nuperæ editionis, quæ cum peruolutarem, aliquid reperire cupiens, ad confirmandum meas cogitationes: incidi in hæc verba ὁ μὲν περὶ τούτου ψαλμὸς τὴν γένεσιν αἰνίττεται τοῦ χριστοῦ, ἧς τὸν καιρὸν ἡ ἕ. δεδήλωκεν ἔκδοσις, ἐν ἐπιγραφῇ τεχθήσεσθαι λέγουσα, ὁ δὲ μετὰ χεῖρας τὸν θάνατον. Posterius ἡ γένεσις τοῦ σωτῆρος τοῦ περιλαβόντος ἐδηλοῦτο ψαλμοῦ ἐν τῷ, καὶ ᾄδοντες χοροὶ πᾶσαι πηγαὶ ἐν μοί. Præcedens quidem psalmus *Fundamenta eius in montibus sanctis*, laudat generationem Christi, cuius tempus sexta Editio demonstrauit, dicens fo-

re,vt in descriptione nasceretur. Hic autem qui in manibus est: Domine Deus salutis meæ in die clamaui,& nocte coram te,eiusdem Christi mortem: Rursus: Generatio Saluatoris præcedenti ostensa est Psalmo, quæ dicitur: Et cantantes chori: *Omnes fontes mei in te*, quod Vulgatus Interp. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*.

FVI incredibili voluptate perfusus & ad meas scriptiones vehementer excitatus. nam si Saluatoris ortus, hoc Psalmo describitur: *Homo & homo* Iesus Christus est, *Qui natus est in ea*. Vbinam quæso natus? *in ea*, Syone proculdubio. Ita enim legimus: *Numquid Syon dicet Homo? & homo natus est in ea*, Est vero natus in Virgine: nunc ergo Syon cælorum est Regina,& domina Angelorum, In ea enim Christus natus.

ALITER dici nec debet nec potest, nisi quis planè temerarius & impius ita interpretanti: *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est*, Euangelistæ se opponit.

NVM Deus arcem Syon quod in ea fuerit arca Testamenti tantopere dilexit?& super omnia tabernacula Iacob illius portas adamauit? Cur non Silo, & Gabaō, & Nob, ipsumque desertum & in solitudine tabernaculum a Mose constitutum pari studio & volūtate prosequutus? Omnino contendero, imò rationibus addicam necessariis, magnam Carminis partem, si aliàs vsquam, nunc iure quidem optimo, esse de laudatissima VIRGINE, totum ferè Psalmum in ea consumi, minimum vindicare sibi filium. Nam quæ in diuinis Script. laudes cumq. sunt, quæ matri incomparabili passim deferuntur, redundant planè in filium.

SIC ego concludamus. Agitur hic de Christi Oeconomia, susceptoq. in carne ministerio; neque dubitandum quin ea sit huic Psalmo proposita materia. at operis cuiuscumque argumentum & materiam Hebræi vocant *Fundamentum*; est verò Carmen, vt Spiritus sancti vocibus & locutionibus vtar, fundatum in montibus sanctis; Christum ergo & eius immaculatum thalamum, ac thronum, Velumque Diuinitatis animatum, *Montes sanctos* dicit.

Qui aliis præsunt,& inferiores protegunt, vt propter quos cæteri fortiores sint,& in quibus situm populi præsidium, Diuinę literæ, *CARDINES, & CLYPEOS, COLVMNAS*, item vocant, etiam *MONTES, SCVTA, ET FVNDAMENTA TERRAE*; Itaque Micheas: *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terrę*. sic Dauid: Montes & colles pauperibus opposuit. *Deus iudicium tuum regi da Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Iudicabit pauperes populi.*

RECTE ergo Christus Dei patris verbum eiusdemque substantiæ incommutabile sigillum, qui densissimis in tenebris luce sua illuxit; & rebus

bus nostris planè desperatis tulit medicinam,rectè etiam Virgo incomparabilis,salutis nostræ portus & anchora firmissima , mater ipsa lucis,expultrix tenebrarum & prænuntia veri Solis,mater,inquam,vitæ,cunctorumque viuentium,nostri generis salus,columen , præsidium, reparatrix denique & regeneratrix nostra *Mons sanctus* dicitur.

ILLA nos languentes, iacentes, prostratos,& abiectos responso diuinissimo erexit,recreauit;ille,vita, salus, redētio, resurrectio, & sanctificatio nostra , via denique ,veritas,& vita . atque adeo hæc omnia Dauid ab his montibus expectanda sibi intelligebat, ad eos enim respexisse dicitur: *Leuaui oculos meos in Montes vnde venit auxilium mihi*.

MONTEM dici Christum ad quem omnes gentes essent confluxuræ legimus apud Isaiam. & in Zacharia : Quis tu mons magne coram Zorobabel?nostri cum Hebræis,Chaldæus item Parap.Christum interpretantur. *Reuelabit* , inquit , *Christum suum* . & (vt in vetustissimis codicibus memini legisse)*Magnus ille Mons se inclinabit cuius nomen iam vsque ab antiquis prædictum est* .certè è cœlis ad terram , ita enim legimus ; *Inclinaui ad eum vt vesceretur* . non enim pane illo vesceremur , nisi ad nos ille descendisset.

PORRO lapis Danielis , qui percussa statua factus est *Mons Magnus* , nonne Christus est ? Item *Adducam seruum meum Orientem* , quia , ecce lapis quem dedi coram Iesu , super lapidem vnum septem oculi sunt, ecce ego celabo sculpturam eius,de Christo est.

AT æterni patris sponsa,& mater Regis regum,sanguisqne Prophetarum inclytus,Mons est . nam , quæ meritorum verticem super omnes Angelorum choros(libēter enim ipsius Ecclesiæ vocibus, & orationibus: vtor)vsque ad solium diuinitatis erexit,& cuius altitudo super omnes sanctos refulsit,non ipse mōs est pręparatus in vertice montium?Quin etiam montem Pharan vmbrosum & condensum , vnde venisse Deum scribit Abacuc , augustissimam Virginem interpretatur Hesychius, *Vmbrosum*, quoniam ipsi Gabriel dixit : Virtus Altissimi obumbrabit tibi ; *Condensum* , vt minimè exaratum ab homine . Ita etiam Plato: ἄρτεμις λέγεται. ἢ διὰ τὸ ἀρτεμὲς, ἢ διὰ τὸ ἀρετῆς ἵστορα, ἢ διὰ ἄροτον μισησάσης . *Diana Artenis dicitur*, vel propter integritatem, vel virtutis scientiam,vel quod arationem odio habeat,viri scilicet in muliere.

ET inuictus Samsonis animus cum muliebribus emollitus blanditiis aperit quæstionem, delususque & spe frustratus eius abstinet coniugio, cuius perfidiam deprehenderat:Nisi arassetis,inquit, in vitula mea , cum vxore habuissetis stupri consuetudinem : non inuenissetis propositionem meam.

RECTE ergo *Condensum*, *Vmbrosum* autem ob illud : Spiritus sanctus superueniet in te. Superuenire autem, vt huius verbi notionem explicemus, est, superfluere, & superabundare. *Casei oridi*. (ait Columella) *ouilis proximi anni frustra ampla in picato vase componito, tum optimi generis musto adimpletò, ita vt superueniat, & sit ius aliquanto copiosius, quam caseus, nam caseus combibit & fit vitiosus nisi mustum semper supernatet*. Simillima, inquit ad Brigittam diuina Virago, ego sum Flori de quo apes trahunt dulcedinem, a quo quantumcumq. colligitur, nihilominus ei dulcedo remanet. sic ego omnibus gratiam impetrare possum & ego superabundo.

NEQVE enim Obumbrasse ita accipiendum, vt Apostolis dicitur Donec induamini virtute ex alto adueniente in vos. Spiritu sancto. In his enim ille descensus, non Incarnationem, sed signorum & prodigiorũ efficacitatem, confirmationemque certam & indubitatam promissionũ Christi fecit. At in Virginem cum omnibus suis diuinis donis virtutibusque descendit, vt & gratiis abundaret, & Altissimi virtute obũbraretur, & corpus eius sanctificatum est, vt salutarem illum fœtum posset concipere, & ipsa roborata vt videre posset, quo ad potuit quidem fieri, Deum formæ in se expertem concipi.

SED quoniam Christi caro diuinis literis, *Stola*, *velamentum*, *vmbra*, & *vmbraculum* dicitur, etiam nunc Obumbrabit tibi, interpretari licet Carnem ex te sumet; nam id quod legimus: *Habitans in adiutorio Altissimi, in protectione Dei Cœli commorabitur*, Hebraicè est: *Habitans in abscondito altissimus in vmbra omnipotens hospitabitur*, & ita S. Hieronymus, hoc opinor sensu. aliquando Dei filius carnis vmbra & velamento tectus quiescet in Virginis vtero, hospes, inquam, erit, & peregrinis in vmbra, nec tanta mai estas, virginis vterum exhorrescet; obumbrauit enim eum, & circumdedit corpore, ac vestiuit extrinsecus sanctissima Virgo.

CHRISTI carnem uocat D. Paulus Velametum, *habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum, in imagine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamentum* hoc est, carnem. Salomon Vmbraculum, id enim est ferculum: ferculum, ait, fecit Rex Salomon, carnem sibi sumpsit, ex lignis libani, purissimis materni anguinis partibus, columnas eius fecit argentas quatuor humores qui humani corporis fabricam sustinent atq; suffulciunt. Est porrò ferculum Suetonio umbraculum (nos pallio siue Baldochino) *Cæsar*, inquit, *fecit sibi statuam inter regias, suggestum in Orchestra, tensam & ferculum Circensi pompa*.

RECTE ergo Virgo superbenedicta, *Mons Condensus*, nullius

lius opera aratus aut cultus : Erat enim Spiritus ſancti cultura, uel ut Scripturæ uerbo utar ſculptura , potius . Ita apud Zachariam : Ego cælabo ſculpturam eius. Huius corporis panem, ait Nyſſen. nó aratio, non ſatio , non agriculturæ opus efficit, ſed terra intacta permanſit. Conſtat ergo de Titulo.

ET quoniam eius laudare ortum, cuius mater ignoretur , a ratione plane videatur alienum,vt veniatur ad filium , à virginali organo,& Trinitatis triclinio , vrna , inquam, aurea , & vaſe ſplendidiſsimo (omnibus enim nominibus tuis delectamur Virgo diuiniſsima) eximius Vates , vti pareat , ſumit initium .

DILIGIT DOMINVS PORTAS SYON SVPER omnia tabernacula Iacob .

IDEST poſt habitis tot millibus puellis hanc vnam Illuſtriſsimam Fœminam diligit,ac cœteris charionem habet,vnam non gentilibus modo ſuis , ſed cunctis etiam gentibus, populis, nationibus, poroponit admirandam .

HEBRAICARVM vocum origines , rationeſque Theologus diſcutiat oportet,quibus ignoratis nihil firmum poteſt conſtrui; certe prętermiſsis,ſæpe dici videas, quæ cum nec caput nec pedes habeant,riſum doctis & intelligentibus moueant.

EST ergò Syon nomen montis vnde famoſa ciuitas nomen habuit, transfertur itē ad Eccleſiā. non ignoro , ſed libens interrogauero quidpiā aliud ſignificet ? certè *Syon* dicitur quicquid edito & illuſtri loco poſitum, ſpecie &pulchritudine ſua omniū ſe oculos conuertit.magnifici ergo tituli,ędificia,Pyramides,columnæ,& triumphales fornices, quicquid deniq; cultu & elegantia cæteris antiſtat : id proprie Syon.Ita in libr. Regum. Quis eſt iſte (Syon,Latinus inrerp.*titulus*) *quem video*?plurali numero in Ieremia , Statue tibi *Syonim* , Latina Edtio *ſpeculas pone tibi amaritudines* .

RECTE ergo, & Hebrææ vocis origini congruenter : Diligit dominus portas Syon,interpretamur, inſignis ſpeculæ,tituli,columnæ Dei nomine inſcriptæ . Qui vicerit, ait D. Ioan. faciam illum columnam in tēplo meo , dicit Dominus, & ſcribam ſuper eum nomen meum ,

ET quanqnam Virgini Deiparæ,& auguſtiſsimæ Reginæ communis Syonis & Columnæ cum cœteris fortaſſe videatur apppellatio: illud Zachariæ qui perpenderit : Ego cęlabo ſculpturam eius , quam etiam lectionem tuetur Kimihi,& Chriſtum diuinis ſcripturis,*Nomen Dei* appellari; Illud item : *Scribam ſuper eum nomen*,qui conſideret,videbit profecto Incarnationis myſterium Spiritui ſancto tribui, qui Chriſtum, nomen

Domi-

Domini, in Virgine celauerit.

FVIT enim charta illa diuinissima, nouumque volumen, vbi ineffabiliter Deus Verbum sine manu inscriptum fuit. Hesychius vero: Ager fructum edebat, & fructus carebat cultore. messis reddebat quæ semen tem non acceperat, currebat fluuius & fons quacumque ex parte clausus erat.

PORRO Christus nomen domini in Diuinis scripturis. Manifestaui, ait ipse, nomen tuum, me filium esse tuum *Hominibus*, nam eidem postea petenti vt se clarum & famosum redderet: *Pater clarifica nomen tuum*, respondet: *Clarificaui* in Baptismo, & editis tot postea miraculis; & iterũ clarificabo, in resurrectione: Itaque ecclesiastica lectio, vt alibi dixi vsurpat in aduentu: *Ecce nomen Domini venit de longinquo*.

VOCAT ergo Virginem Deiparam, matrem Redemptoris, vt creaturarum dominam matremque viuentium, cui nil sit in orbe par, cũctis inuisibilibus, vno Deo excepto superiorem, vocat inquam *Syon* rem illustrem & insignem, in quam omnium gentium ac nationum oculi cõiecti sunt. Aperte enim ipse Dauid, cum reges Orientis oblatis donis oculos ac mentem ad illius nutricem conuertissent: ipsi *Videntes* ait, *sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt*; non certe paulo post à fundamentis diruendos templi lapides, immanesque illas substructiones, non Syonis saxa ac scopulos videntes, moti sunt, sed nutricem arbitror, cuncta nutrientis admiratos dicit, & illius forma & specie pulchritudinis eximia attonitos constitisse, quam intuentes in eamque defixos *Tremor* eos apprehẽderit; quin Dionysius ille modis omnibus maximus & tãto preceptore dignissimus, nisi Deum inuisibilem & inaspectabilẽ esse intelligeret, veneranda, & planè incomparabili illius specie ac formæ dignitate commotus, pro Deo procul dubio erat habiturus.

NAM quod sequitur: Ibi dolores vt parturientis. & alibi: Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius, de vrbis Metropolitanæ principibus & imprimis Herode accipi potest, qui cum turbatus dicitur & omnis Ierosolyma cum illo; vehementissime commotum significat, & qui mos tyrannorum est, vt lethali telo, sic atroci Regum nuntio factoque percussum.

SICVT audiuimus, inquiunt, *sic uidimus*. Quidnam quæso id? *Magnum Dominum & laudabilem illum nimis*, vbinam tandem illum? *In ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*, hic illum vidimus, in illius gremio matris officia implorantem; eam porrò quæ nondum natum, in vtero sanguine suo aluerat, vt cuius ex corpore, cuius ex sanguine concretus ille homo & coalitus est, iam genitum, iam filium proprij ac consueti atque cogniti sanguinis alimonia vidimus pascentem, in os illi stillantem atque

ex-

exprimentem, carnem tenerrinam diuinitatis organum manibus mulcentem, & recens nato notum ac familiarem victum offerentem; manus pedesque fascijs alligantem, *Vidimus*, inquam, Cœli terręque dominum huius tamen Virginis seu potius masculæ viraginis aliquando indigum.

EN ingens illa domus & plena Deo sedes, En nutrix cuncta nutriẽtis in cuius gremio & Aula capacissima Reges illi Arabum Dei misericordiam suscepisse gloriantur. Lætetur iure optimo, lætetur *Mons Syon*, gaudium & lætitia vniuersæ terræ, ex quo species decoris eius, splendor ille gloriæ, & figura substantiæ eius nobis apparuerit. Laudate coram Domino Deo, ait Chaldæus, qui posuit diuinitatem suam in *Syon*. Hic certe vnus est qui dabit de hac Syon benedictionem Israel.

HVIVS ergo admirandæ virginis Dominus portas diligit, portas dico siue fenestras, per quas mors solet introire. Has enim tùm cùm nomen in ea suum, idest, filium sculpere & carnem sumere decreuisset, super omnia tabernacula Iacob dilexisse dicitur, vallasse inquam & sepsisse, ne aliquando mortis princeps posset introire. Ita enim legimus scriptum, ad Christum dici; *Non acedet ad te malum*, ad Virginem vero excellentissimam: *& flagellum*, siue quod magis quadrat, & Hieronymus ex hæbreo dici vult, *Et plaga non appropinquabit tarbernaculo tuo*, Matri incomparabili. Sic magni viri prodiderunt, & in Virgine vsurpa t, & canit Ecclesia: *Qui creauit me requieuit in tarbernaculo meo, & sanctificauit tarbernaculum suum altissimus. Item: Surge Domine requiem tuam tu & Arca sanctificationis tuæ*, quam tu sanctificasti, vt illud, *transtulit os in regnum filij dilectionis sui*, quem vnice diligit.

QVAM vero Arcam dicat interpretem habemus Romanam Ecclesiam. *Ventris sub Arca clausus est*, sic Græci Patres: Sacrosancta Arca, vt iustus dixit Dauid. *Arca* quidem, arca Noe latior & illustrior, nam eodẽ corpore quo in suam ingressus fuerat, ex illa exiturum se præuidit Noe, Deus vero sine corpore se ingressurũ, exiturũ vero, assumpta carne & corpore; tum Virginem omnibus donis & gratijs spiritualibus plenam, illam vero vacuam omnino a se relictum iri. Ita porrò ipsius Spiritus sancti virtute ac robore quasi bitumine stipandam & consolidandam lætabatur Deus, vt nullis procellarum & imbrium tempestatibus permanare atque perfluere deberet. *Surge*, ergo ait Vates, *tu & arca sanctificationis tuæ.*

NAM quæ nullas vniuersę carnis maculas, & inquinamenta contraxit, nec durum illud flagellum aut plagam vllo modo sensit, sed ab eiusmodi sordibus quamlongissimè abfuit: non debuit vt cæteri expectare carnis resurrectionem.

ET cum ad eius sepulchrũ audita fuerit triduana Angelorum hymnodia;

nodia; & aperto loculo abyssus ille gratiarum, & diuitiæ inexaustæ, magnum illud Dei tabernaculum diuinis hominibus non fuerit inueutū quis non videt purissimæ carnis prærogatiuā, eximio Vati fuisse in spiritu ostensam? & qui eius filium in Arcanis dicere docuisset: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto innixa super dilectum?* Eundem inquam patri suggessisse, vt nubem illam leuem, seu Aquilam potius sublime illud æther, & aera penetrantem alloqueretur: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuę.*

NAM si in resurrectione carnis, ad eas quibus esset spoliata exiuuias repetendas cum cœteris descendere, & communi omnium lege rursum rapi debuit in aera, & obviam prodire Redemptori: nihil priuatum eximia Virgo videretur consecuta. at Ioannes apertissime: *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* De eadem porro præcesserat: *Et apertum est templum Dei in Cœlo & visa est arca testamenti eius in templo eius,* Hoc autem tum fuisse dicit, cum venit ira, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis suis.

NEQVE vero legimus, Accepisse virgines lampades suas & soli sponso obuiam exijsse. Sed cum sponso & sponsę dicitur, beatissimæ Virgini, vt Ecclesię membro nobilissimo, cum filio descendenti significari videtur.

EN causa cur illius portæ, siue fenestræ diligantur, quod eas non attigerit durum illud flagellum: est enim in circuitu eius Dominus, est filius potentissimus, eamque commendat, quod eadem sit vtriusque caro impolluta.

ITA enim ait: *Equitatui, meo,* seu vt in Hebraico *Equæ, meæ in curribus Pharaonis aßimilaui te Amica mea.* Ex omnibus, inquit, qui peccati maculas & sordes contraxerunt, hi enim sunt currus & quadrigę Pharaonis, quibus mortis auctor & princeps violentissimus dominatur; vnam ex omnibus *Equæ meæ,* idest, carni meæ te similem esse volui. E quę inquit, meæ in curribus, non meis, de ijs enim legimus: Et quadrigæ tuæ saluatio, sed Pharaonis, qui ascensorem habent diabolum, Et angelos eius. Et quidem, qui persequuntur viros probos, equi sunt hinnientes & habent ascensores suos, quibus aguntur Angelos malos; eoque feroces sunt & truculenti. Pharao autem, vt potentior in malitia quadrigas agit. Non enim satis illi est vnū equūinscendere, plures simul agitat, in ipsis sedet, currui suo iungit, plagis tortos verberib. cogit, fertur, volitat, & per apertos scelerum campos, effusis eos agitat habenis.

CARNEM quippe Christi ob tolerantiam in cruciatibus & plagis proferendis, Equum siue Equam, Iumentum, & Asinā dici ex Scripturis ipsis

ipſis alibi diximus, Neq; verò fugiunt Latini ſermonis principes hanc appellationem. nam cùm Mercurius Amphitrionis ſeruum Soſiam cædere vult, ita loquitur, vt dicat illum corpori ſuo pugnos quærere. *Illic*, inquit, *homo à me ſibi malam rem accerſit iumento ſuo. SOS. non equidem vllum habeo iumentum. MER. onerandus eſt pugnis probe.* Quamquam quod Equã vocat, ad illud fortaſſè refert: Ecce iſte venit ſaliens ſuper montes, tranſiliens colles.

FVIT ergo filij ſinguIare beneficium, qui niſi cuſtodiſſet ciuitatẽ & illius portas, feneſtraſque, & ſeras oppilaſſet, fruſtra vigilaſſet prudentiſsima Virgo; atque hanc adeo prærogatiuam ipſa Dauidis proles generoſa Regaliſque progenies agnoſcere & prædicare iubetur: *Lauda*, inquit, *Deum tuum Syon, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.* Portas ſiue feneſtras dicit quinq; corporis ſenſus, vel potius Virginalis vteri clauſtra, quæ ingrediẽte & egrediente Redẽtore clauſa viderit Propheta eximius.

QVOD enim ſimul ac aperirentur aures Virginis Angeli vocibus, etiam tum ignara de euentu myſterij turbata & hæſitans prorſus, ad naturam certe reſpiciens, & de Ioſepho cogitans, & Angelum quaſi de inſtante iam tempore locutum: *Ecce concipies*, & audito Spiritus ſancti ſuperuentu, & altiſsimi obumbratione, hæſitans etiam tum, ſed tamẽ optans conſenſerit, fueritque lex illa Clementiæ, vt ait Salomon, in labijs ſuis, cum datum eſt ab ea reſponſum diuiniſsimum, & diſcedente Angelo introgreſſa ſit diuina filij eſſentia, adeò vt nec ipſa Virgo cognouerit, cognouerit aũt ipſe Dei filius quomodo introiuerit, nec corporeæ moli, ſacratiſsimi ventris obſtitiſſe repagula, aut ſoluta lege naturæ cardines ſolutos, ſed his integris introiſſe & prodijſſe Redemtorem: hoc dicit Vates *Diligere Dominum portas Syon*, & eximium planè amoris argumẽtum & indicium præ ſe ferre.

GLORIOSA DICTA SVNT DE TE CIVITAS DEI

IN diuinis literis vel litera vna & apiculus reconditos habet theſauros, Quod ergo hic eſt amplius in Hebræis codicibus: Glorioſa dicta ſunt de ciuitas Dei CELAH, quod pro CELAH poſuerit optimus quidem ille rerum, vocumque diuinarum interpres Chaldæus Paraphraſtes LEHALMIN, quod eſt, *Ad æternitates*, vel *In ſæcula*, cur multi non conſiderant? Ait enim Vates celeberrimus, *Ciuitas Dei in ſæcula*, ideſt, *æterna Dei ciuitas, glorioſa dicta ſunt de te.*

NVM parua hæc ſunt? quæ planè oſtendunt, non tam de Vrbe Syon, quam de creaturarũ Domina, & matre ac Regina omnium Redemtoris ſermonem inſtitui? num enim vrbs Syon, quam poſt cæſum in ea Dei filium, & multis antea ſæculis, omnes fere Prophetarum paginæ, inuiſam

S Deo

Deo,ac deteſtabilem, iuſtorum ſanguine madentem,vndantem & natātem vocāt;num vero ea æterna Dei ciuitas poteſt appellari?nō inquis, terreſtrem Syon, ſed Cœleſtem intelligo.rectè id quidem: nemo enim prohibet, ſed num iccirco vetas matrem Redemtoris? Conſidera Pſalmi argumentum,eius imprimis finem & epilogum, textum præterea & filum totius orationis; audi Eccleſiarum matrem Romanam Eccleſiam interpretantem; quod amplius requiras certè non habebis. Si enim Chriſtus natus eſt in Bethlem, nec eſt natus in Syon, quod dicitur. *Homo & homo natus eſt in ea; Ea*, ciuitatem refert de qua præceſſerat; *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Eſt vero natus in Virgine, & quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt:nunc ergò Dei Ciuitas,eſt Virgo innocentiſsima.

AT probandum eſt Virginem ciuitatem appellari, tum facile obtinueris dici ciuitatem Dei. Audi arcanas Hebræorum interpretationes ad verba Salomonis; qui quaſi Syracuſarum oppugnationi interfuiſset, vidiſſetque Archimedem contra fortiſsimos milites patriam conſeruantem: *Ciuitas*, inquit, *parua & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus,& vallauit eam,extruxitque munitiones per gyrum,& perfecta eſt obſidio, inuentusque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam.* longe hic aliūd in receſſu vates eximius, & multo quidem ſublimius occultauit & texit, quàm quod verbis præ ſe fert.

EST quiſque noſtrum hæc ciuitas:nos ipſi ciuitas ſumus. Hieruſalem & Syon ipſi ſunt fideles, ipſe inquam eſt animus cuiuſque. In hoc inſtructæ copiæ virtutum ac vitiorum,velut in acie dimicantium, de quibus Eccleſia: *Extingue flammas litium, Aufer calorem noxium.* & hoſtis antiquus Rex eſt, qui conſtituit munitiones per gyrum, & obſidionem perficit, quemque noſtrum oppugnans, & attente quærens, vt deuoret.

ET quanquam Deus magnam voluptatem capit ſpectans magnos viros colluctantes cum aduerſario, tamen niſi ſudibus nares eius perforaret, & linguam funibus, armilla maxillas colligaret,certantibus adeſſet eoſque ſubleuaret, vix poſſent ullo modo in acie conſiſtere.

VENIT ergo, ait Salomon, *contra eam Rex magnus.* certè magnus,rugiens, ardens, furore accenſus,& ſpirans naribus ignem.Iob: *Per gyrum dentium eius formido reputabit quaſi paleas ferrum, & lignum putridum æs.* Vir ergo pauper & ſapiens liberans ciuitatem per ſapientiam ſuam, eſt animus cuiuſque, & pars illa in nobis melior,quæ ſi cupiditates frænet,& in gyrum rationis ducat, fortiter ſe gerat, & ſtrenuè reſiſtat: ciuitatem, ſeipſum, inquam,ſapientia ſua liberare dicitur.

SED Hebræos ipſos loquentes audiamus;neque enim de eorum nu-

mero sumus, qui Epiphanij, Origenis, Eusebij, Clementis, Hieronymi, Theodoreti, aliorumque insignium virorum pro religione pugnantium, de Hebræis consulendis, dicta atq. pręcepta crebra atque adeò frequentissima, cōtēnentes, nihil sani ab eis dictū, aut scriptū esse credūt.

DIVINA lex, inquiunt, animorum nostrorum Sol, cœlumque alterum putandum est. Vt enim sole mundus, sic illa animus gubernatur & regitur; est ille in corpore, ceu hospes & peregrinus, in alium orbem ignotasq. regiones aliquando delatus; solus est, nullos qui opem ferant & subleuent, habet notos aut amicos. Corpus vero satellites multos, voluptatum atque libidinum prægustatores, & quasi administros. Inter hos animus solitarius & miser, veluti mancipium, dura & inclementi seruitute præmitur: quamobrem eum Salomon pauperi & misero sapienti comparauit.

DE his vero satellitibus, vel feris potius immanissimis Græci patres ad illud: *Et præsit bestijs terræ, & volatilibus cœli*. Impera, inquiunt, bestijs omnibus, quæ sunt in te. Quid inquies? egone in meipso bestias habeo? Tu vero bestias habes, & eas quidem innumerabiles. Ac ne me contumeliosum existimes, amabò, paruane est bestia Iracundia, quando latrat intus in corde? nonne ea est quouis cane crudelior? in callido animo tuo dolus latitans, nonne Vrso fraudulento sæuior est? Quid? nonne fera est Hypocrisis immanissima? qui præceps rapitur ad vindictam, nonne Vipera? Qui amoribus insanit nonne equus furiosus? Quid Auaritia? nonne Lupus rapacissimus? nulla in nobis fera non inuenitur.

DE pugna vero intra Ciuitatem: Ille demum, ille vero athlæta est, qui in magno stadio pulchro hoc mundo, veram de perturbationibus omnibus victoriam reportat. Nam Agonothetes est omnipotens pater, brabeutes, siue coronę dator, Vnigenitus filius; spectatores vero Angeli Dei, omnis generis pugna, Pancratium; non aduersum carnem & sanguinē &c. Eadem Clemens Petri auditor, Nyssenus, Tertullianus, Synesius, Athenagoras: Bonnm certamen subituri estis, in quo Agonothetes est Deus viuus, Xistarches Spiritus sanctus, Corona æternitatis, Brauiū.

EST ergo Virgo admiranda magnumq. illud totius Mundi miraculū, Ciuitas, pacatissima tamen, & ab his omnibus, quæ ex peccato oriūtur, perturbationibus, longè alienissima. Nam cuius castitati in terris nihil vnquam fuerit æquale, nec vlla inter mortales puritas aptior potuerit reperiri, quomodo vllis vnquam seruisset affectibus? aut in ea caro aduersus spiritum concupiuisset?

DICI porrò Ciuitatem Dei, quis audeat negare? Nam cùm præcessisset: *Sonuerunt, & turbatę sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius*, idest, Cum audijsset Herodes, turbatus est & omnis Ierosolyma

lyma cum illo. (Aquæ enim multi populi sunt) de ipsa & omnis gratiæ plenitudine, a fonte, qui est filius, largius se in eam infundente: canit Ecclesia: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, sanctificauit Tabernaculum suum Altißimus. Deus in medio ipsius non commouebitur, & adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Neque uero alia sanctificatio intelligenda est, quam illa: *Et plaga non accedet Tabernaculo tuo.*

IAM quęnam alia, de hac Diuina Ciuitate Gloriosa dicta sunt, quam quę ab Ecclesia matre indulgentisſima didicimus: *Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignißima, quia ex te ortus est Sol Iustitiæ. Natiuitas tua gaudium attulit vniuerso Mundo; Tu cunctas illustras Ecclesias.* Tū illa quæ ab Angelorum principe eidem dicta sunt, & vniuerso Scripturæ corpore in primis consignata legimus, Orthodoxorumque patrum infinitis sparsa voluminibus, è quibus sunt:

PORTVS Diuitiarum. Anchora Firmissima. Dei Patris Templum. Filij Immaculatus Thalamus. Aula Filij Dei. Spiritus Sancti Sacrarium. Ancilla et Mater. Admiranda Deipara. Thesaurus Diuinus. Vnicum Solatium. Protectrix et Auxiliatrix. Virgo Gloriosa. Thesaurus Gratiarum. Omnium Regina. Vere Benedicta. Virgo Præclarißima. Diuinæ Gloriæ Templum. Sacrosanctum Regis Palatium. Electa antequam Genita. Perfugium Conciliationis nostræ. Thesaurus Vitæ Immortalis. Cælum Solis Gloriæ. Domicilium Cælo Præstantius. Sancta Virginalis Tellus. Commune Propitiatorium. Seraphim Præstantior. Cherubim Sublimior. Fidei nostræ Propugnaculū. Propugnatrix Nostra. Thesaurus Sanctitatis. Cæli Fenestra. Fœminarum Restauratio. Templum Maius Cælo. Orbis Decus eximium. Orbis Ornamentum. Lampas Inextinguibilis. Virginitatis Corona. Honoratior Cherubim. Seraphim Gloriosior. Semper Beatissima. Mater Incontaminata. Animatum Dei Templum. Cæli et Terræ Domicilium. Cælestibus Præstantior. Propugnaculum Munitissimum. Virgo Sanctißima. Virgo Intemerata. Superbenedicta. Dominatrix Nostra. Domina Nostra. Filia Cęlestis. Interius Gloriosa. Aßistens Regnatori. Benedicta Regina. Regina Et Domina. Humani Generis Bonum. Salus Maxima. Mortalibus Amica. Aduocata Benigna. Sedula Aduocata. Puella Gratiosa. Mater Et Virgo. Virgo Castissima. Omnium Pulcherrima. Regina Mundi. Gaudium Mortalium. Noua Eua. Mater Vitæ. Mater Viuentium. Vndequaque Beatißima. Regina Et Domina. Domina Deipara. Circundata Varietate. Filia Dauidis. Mater Nostra. Domina Et Hera. Diues Gratiarum. Gloriosa Domina. Arca Sanctuarij. Regina Et Mater Dei. Sublimior Angelis. Sancta Mente et Corpore. Magistra Veritatis. Nunquam satis Laudata. Regina Augustissima. Patrona Fauentissima. Virgo Incomparabilis. Legislatoris Mater. Prophetissa Celeberrima. Prophetarum Prophetissa. Magistra Magistrorum. Vaticinium Prophetarum. Diuina Tympanistria. Mater Redemtoris. Dominatrix

Summa. Sponsa Trinitatis. Thesaurus dispensationis. Excelsa supra Sydera. Domina Angelorum. Stella Maris Magni. Cœli Regina. Parens Parentis. Fons Fontis Viui. Origo Principij. Dei Domicilium. Templum Diuinum. Regina vniversorum. Sydus Eximium. Gloria Hierusalem. Lætitia Israel. Domini Sponsa. Colũba perfecta. Sponsa Immaculata. Fons Mundissimus. Hortus amœniss. Puteus Aquarum. Hortus Delitiarum. Aurora consurgens. Electa vt Sol. Delitijs Affluens. Rubus ille ardens. Virga Aaron. Arca testimonij. Virga Iesse. Porta Orientalis. Porta clausa et Lucida. Vellus Gedeonis. Templum Salomonis. Petra Illa Primaria. Christi Regis Armarium. Aurora Rutilans. Prænuntia Veri Solis. Lucifer Præsens. Virginum Regina. Columba Electa. Omnium sanctissima. Innocentissima. Magnum Mundi Miraculum. Semper Beatissima. Mater et Virgo. Nullis exequanda. Inuisibilibus superior. Mons Sublimis. Cunctis Eminẽtior. Virgo Ineffabilis. Maior Patriarchis. Apostolis Sublimior. Martyribus Maior. Excellentior Cherubin. Thronis Altior. Seraphim Dignior. Sanctitas Immensa. Iustitia Singularis. Religio Ardentissima. Charismatibus Affluens. Mons in Montium Vertice. Sole circumamicta. Stellis Redimita. Abyssus Gratiarum. Desideratissima Mundo. Pax Fidelium. Incircumscripti Circumscriptio. Radix speciosissimi Floris. Mater Creatoris. Nutrix cuncta Nutrientis. Continentis cuncta Comprehensio. Gestatrix cuncta Portantis. Mystici Carbonis Fibula. Purificantis Carbonis Forceps. Sinus omnia complectentis. Incomprehẽsilis. Roris Vellus. Cysterna Bethlemitica. Inaccessibilis lucis Impollutum Vestimentum. Castrorum Acies Formidanda. Parens Vitæ. Hera Et Aduocata. Domina Et Regina. Omnino incomparabilis. Soboles Clarissima. Mater Regis Regum. Genetrix Fulgentissima. Regalis Progenies. Thronus Cherubim. Virgo Immaculata. Verbi Sancta Parens. Mater Vitæ. Euæ Reuocatrix. Immmortalitatis Fons. Noua Mater. Mater et Magistra Virginum. Sacrum Spectaculum. Mater absque Sponso. Immensi Gaudii Genitrix. Cella Cœlestis. Altare Animatum Dei. Mater Creatoris. Nubes illa Leuis. Trama Impolluta. Vitæ Genitrix. Creaturarum Domina. Decus Sæculorum. Dei Palatium. Lucerna Micantissima. Thronus Creatoris. Porta semper Clausa. Velum Diuinitatis Animatum. Inauratum Candelabrum. Mensa Vitæ. Aureum Thuribulum. Arca Sanctificationis. Thesaurus Noui Testamenti. Vrna Inclyta. Vrna Gloriosa. Virga Sacerdotalis. Terra Desiderabilis. Mons Vmbrosus. Olea Fructifera. Thronus Gloriosus. Regium Vehiculum. Syon Sancta. Animata Dei Ciuitas. Dei Tabernaculum. Domus Gloriosa. Indissolubile Templum. Agna Immaculata. Virgo Præclarissima. Terra Virginea. Noua Dei Arca. Dei Mater et Ancilla. Ingens Domus Dei. Digna Deo sedes. Celũ Dei Cõprehensibile. Fons Filij Dei. Spiritus Sancti Vmbraculũ. Vno Deo Minor. Omnibus a Deo Maior. Mortis Fugatrix. Mundi Reconciliatrix. Virgo Prudentissima. Superbenedicta. Virgo Intemerata. Hera et Aduocata. Virgo Eminentissima. Deo Gratissima.

Virgo.

Virgo Excellentissima. Virgo Nobilissima. Filia Principis. Clara Proauorum Titulis. Clarior Generositate Prolis. Filia Regum. Patriarcharum Radix Inclyta, Gemma Pretiosissima. Patriarcharum Semen. Stirps Sacerdotalis. Progenies Generosa. Verbi Sacra Parens. Virgo Illustrissima. Sedes Dei. Omnis Puritatis Receptaculum. Vitæ Largitrix. Maledictionis Interemptrix. Benedictionis Conciliatrix. Adæ Reparatrix. Interitus corruptionis. Virga Aaronis. Singulare Virginitatis Decus. Præconium Prophetarum. Filia Principis. Sanctum Templum. Exemplar Monialium. Doctrina Virtutum. Nouæ Religionis Magistra. Virtutum Reparatrix. Sanctæ Religionis Magistra. Arca Gloriæ Spiritalis. Mare Spiritale. Armarium Vitæ. Thesaurus Gratiarum. Diuinitatis Templum. Lætitiæ Organum. Fons Perennis. Cælum Splendidum. Formosior Cherubin. Aula Regia. Hortus Patris. Armarium Vitæ. Puteus semper Viuentis Aquæ. Dei Vas Splendidissimum. Lampas Inextinguibilis. Virginitatis Corona. Templum Inuiolatum. Ineffabile Gaudium nostrum. Festiuitatis nostræ Principium. Pretiosa Margarita. Genitrix & Ancilla. Mater & Intacta. Mater Vnigeniti. Virginitatis Thesaurus Impollutus. Virginitatis Decus. Rubus non combustus. Vellus Mundissimum Cælesti Pluuia Madens. Ancilla & Mater. Virgo Admirandæ Vnionis Tunica. Vitæ Genitrix. Mater Pulcritudinis. Regina Castitatis. Mater Salutis Humanæ. Spes Terrarum. Cælum alterum. Habitaculum Verbo Dei Dignum, Diuinæ Humanitatis Thalamus. Vrna Cælestis Mannæ. Arca Incomprehensibilis. Spiritalis Secundi Adam Paradisus. Naturarum Vnitarum Officina.

MEMOR ERO RAHAB, ET BABYLONIS SCIENTIVM ME.

IDEST si Rahab & Babylonem in memoriam reuoco, si in contentionem adduco, & præstantissimas quasque Orientis vrbes cum hac diuina Ciuitate confero. videtur enim, qui obijceret esse alias vrbes multis partibus hac nostra superiores, ei tacite occurrere: nullam quantauis populi frequentia & amplitudine, Emporij celebritate, magnifica ædifitiorum elegantia & structura quantumuis memorabilem, esse cum hac nostra ciuitate conferendam, sensimque delabitur ad illius ortum felicissimum, vnde Diuinę huic vrbi tantus hic splendor, tantaque nominis celebritas & gloria parta sit: Cum inquit, Memphim, Tanaim, Alexandriam nobilissimas quasque Aegypti vrbes (quam vocant diuinæ literæ Rahab) cum Babylonem ipsam in mentem reuoco, apud eosque qui norunt, lustrarunt, peragrarunt, propono, & eas huic nostræ paria facere prædico. Nam *LEIODHAI*, idest, Scientrum me, dici etiam potest sine pronomine, Scientibus, vel Apud scientes, & recte nnnc Hebræi, *IOD* pronomen illud ex se gignens & procreans, abundare. Sæpè enim paragogicum esse, & ab ipso Vulgato Interprete erudite prætermitti negari

gari

gari non potest. Eodem hoc Psalmo. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, Hebraicè legimus, Habitatio mea est in te. Sunt apud me veterum Hebræorum monumenta, qui legerunt, *Scientium eas*. Quod qui Hebraicè nouerint, non parum congruere animaduertent, & facile vnius apiculi rescissione ex *VAV* relinquitur *IOD*. Est enim *LEIODHAV*, Scientium vel scientibus eas; *LEIODHAI* verò, Scientium, vel scientibus, vel, Apud scientes me. Iam si *LEIODHAI* ad ipsam Virginem referretur, vt diceret: Memor ero Rahab & Babilonis apud eos qui me norunt: eadem ratione mox dictura videbatur; *Homo, & Homo natus est in me*. Sed cum non tàm videatur ipsa loqui, quam eximius Propheta eam commendare, alterutrum necesse est, vel (quod Hebræi rectè, vereque præcipiunt) in *LEIODHAI*, *IOD* ipsum abundare, & quasi absit legendum esse *LEIODHE* pro *LEIODHIM* quod est scientibus, nẽpe eas Vrbes, vel *Scientium me*, Sacræ linguæ Idiotismo, pro Scientum vt ego, positum esse. Constat enim literā *CAPH* (ea est aduerbium similitudinis) sæpe supplendam. certe quod eodem hoc Psalmo Hebraicè legimus: Cantores, vt tympanistæ omnes scaturigines meæ in te, perinde est, vt Sic cantores quam tympanistæ. *IOD* vero sæpe vacare, & odiosum esse, docuit multis locis ipse Vulgatus Interpres, quos nihil attinet replicare.

CONSTAT ergo dicendum *Memor ero Rahab & Babylonis Scientium*, vel *scientibus me*, idest, apud istos qui eò sæpe commeant, de vrbiũ præstantia iudicare possunt, & æq; vt ego ex fama & vicinia notas habẽt. Nec admodum pugnabimus ipsam Virginem loquentem; *Memor ero Rahab & Babylonis* apud eos qui me norunt, meamque præstantiam cognitam atque perspectam habent. Et quoniam in diuinis literis, vti dicebam, litera vna & apiculus reconditum habet thesaurum: dignus mihi locus visus est de quo accuratius agerem.

ECCE ALIENIGENAE ET TYRUS ET POPULUS Aethiopum hi fuerint illic.

CVM vrbes, inquit, Aethiopum, cum Sienem & Meroem, cum ipsam Tyrum claritate & magnitudine ante omnes vrbes Syriæ, Phœnicesque memorabilem, cum Alienigenas, idest, Azotum, Gazã, Ascalonem Gat, & Accaronem, uicinas urbes considero: *Hi fuerunt illic*, uel quod eodem recidit, & Hebraicè legimus: *Hic natus est ibi*, idest quantumuis eas celebres, & omni laude cumules, hic tandem erit prædicationis epilogus & summa: Hi fuerunt illic, idest, Rex unus, & item alter natus est in ea, quasi dicat, fieri quidem potest, è multis unum aut alterum extitisse, qui natali solo laudem gloriamque pepererit, patriam illustrarit, optimis insti-

institutis ac legibus fundatam reliquerit; at multi, etiam vel potius eorum plerique suis quoque patrijs exitium attulerunt, vt præstiterit fortasse de eorum interitu, potius quam ortu istis gratulari. Non negamus, inquit, & illis, & si qui eiusdem modi principes sunt, multam, magnamque laudem deberi, neque vero inuidemus, si, *Hi fuerunt illic*, idest, hic aut ille Rex natus fuerit ibi. Habuit enim Babylon Ninos, Semyramidē, Belos; Tyrus Hiramos; Aegyptus Pharaones, adde etiam si libet à cęsis fratribus Philadelphos, & falso quidem & eblandito, perque omnem assentationem extorto ac ementito titulo Soteres & Euergetas; Nam dare salutem, seruare mortales, liberare periculis, vnius Christi est.

NVNQVID SYON DICET

AT ipsi, vel de ipsa Syon nonne *dicet*? non dicetur ipsi a tota posteritate? Nonne posterum quisque, tot futuris mundi sæculis, dicturus est? Certè Hebraicè (& notant Gręca Scholia Editionis Romanæ Septuaginta Interpretum, id secutos Aquilam & Symmachum) quāquam eundem sensum præferat interrogatio, nulla est interrogationis nota, sed: *At ipsi Syon*; & quidem gestu potius & vultu in omnem hilaritatem effuso oratio illa concepta est, atque adeò ita exprimenda, vt asseuerantis potius & applaudentis, atque id ipsum non quasi dubitantis, ignorantis, aut rogitantis seriò, sed ab inuito etiam extorquere & concedi sibi postulantis gestu pronuntiandum est: *Nunquid Syon dicet?* nempe hominum quisque; siue apertius: Et quid Syon non dicetur? certè. Dicetur quæso? haud dubie a tota posteritate, ab vniuerso hominnm genere. Quidnam vero id ꝙ tātopere ab omnibus ipsi Syō dici ac denūtiari cupis? Rogitas?

HOMO ET HOMO NATVS EST IN EA.

FATEOR in illis Regem vnum aut alterum nasci contigisse, sed eū mortalem, multis sæpe flagitijs in vita sepultum, odijs fortasse multorū quam laudibus digniorem; quem, quod crudelitatem, libidinem, auaritiam, feras immanisſimas aluerit: perijsse potius, quam superesse sui concupierint. prodeat enim in mediū omniū fere vocibus & scriptis celebratus Alexander. Hoc est illius crimen æternū, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit: Occidit Persarum multa millia, opponetur & Calisthenem. Quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur & Calisthenem. Quoties dictum erit, Omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus, & Imperium ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit: dicetur, Sed Calisthenem occidit. Omnia licet antiqua Regum, Ducumque exempla transierit, ex his quæ fecit, ni-
hil

hil tam magnum erit, quam ſcelus Calliſthenis.

AT in incomprehenſibilis naturæ ampliſsimo habitaculo, & ſpiritali Paradyſo, Sanctiſsima, inquam, Dei genitrice, qui naſcetur aliquando, non homo ſolum, ſed *Homo & Homo*, ideſt, Deus homo eſt. Nam ſi de multis loqueretur, proculdubio dixiſſet, *Homo & homo nati ſunt in ea*: At ne vocis geminatio multitudinem inducere putaretur, Singulare verbum adiunxit, *Natus eſt*, pro Naſcetur, Prophetarum more, qui ob præſentiam Spiritus, futura quaſi præſentia aſſeuerantis, ita ſemper loqui conſuerunt.

QVAM ergò ciuitatem de eiuſmodi Regis ortu', qui homo ſit ac Deus commendare vnquam poſsis? Video Reges tuos qualeſcumque produxeris, libidinis, crudelitatis, intemperantiæ, & profuſæ vitiorum licentiæ notis & maculis inuſtos; vel ſi boni & temperantes, laudabile vitæ genus ingreſsi, ad Reip. & patriæ ſalutem totos ſe contulerint: homines fuiſſe mortales, neque diu ſuperſtituros; At noſter hic, in Virgine *natus*, homo certè eſt, ſed idē Dominorum Dominus, Rex Regum, ſummus Imperator, Creator, Opifex, Lumen vitæ, Sanctitas ipſa, Bonitas, Immortalitas, omniſque omnipotentia & excellentia.

SED Dauid, cui conſtitutum eſt de Chriſto Deo Iacob egregius Pſaltes in Iſrael, qui Diuinas literas didiciſſet, eaſque haberet in numerato, cum inexplicabile illud naturarum vnitarum myſterium, admirandæ Oeconomiæ telam, & magni illius paterni conſilij Angelum ad nos veniſſe, carniſque noſtræ participem factum explicare, ſeu verborum velaminibus tegere, & obſcurare potius voluiſſet, cum apertè quod animo præceperat dicere potuiſſet: Homo Deus natus eſt in ea, non vſurpat Diuinum illud & peruulgatum nomen *IEHOVAH*, aut *ELOHIM*; non dicit, *IS VELOHIM*, Vir ſcilicet & Deus: ſed ludens in Viri vocabulo, rem prorſus occultauit admirabilem atq; diuinam: Arcanum enim Regis abſcondere bonum eſt.

NAM *IS IS*, *vir & vir*, ait, quod eſt Homo Deus, Deus carnem indutus, *natus eſt in ea*. Sciebat enim propheta Diuinus, *Viri* nomen Deo tribui; &, ſi pro Vir & Deus, *Vir & vir* diceret: ſe, nec a Scripturarum cōſuetudine, nec a communi vocabulorum vſu & ſignificatione diſcedere. Etenim Chriſtum dici *Virum*, quia verè homo; Item *Virum*, quia Deus.

ID nemo dubitabit, qui replicarit Scripturas. Moſes ad Leui. *O LEVI* perfectio tua, & doctrina tua *Viro* ſancto tuo; Hebraicè *Viro CHASDECHA*, miſericordi tuo, ideſt: qui erga te benignus & liberalis ſemper exſtitit, & cui debes tuos *VRIM*, & *TVMIM*.

LXX. Interpretes, Virum qui luctabatur cum Iacob Deum appellarunt, vt & multi ſanctorum Patrum prodiderunt, Chriſtum auguſta ſpe-

cie per quietem se Iacob conspiciendum præbuisse; nam & is nomen suũ quæri vetat quod esset mirabile, certe *Vir & Vir*, homo Deus, quo nihil admirabilius; &, si contra Deũ, inquit, fortis fuisti. Deũ vocat, quẽ antea Virũ; Quod si ab Osea Angelus appellatur, Angelũ hũc Deũ esse intellexerũt LXX. nã quod dicitur: In fortitudine sua directus est cũ Angelo: illi dixerunt: Directus est ad Deum; & fuit Christus Angelus ille de quo est apud Malachiam; Veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis; certe vnus fuit magni illius paterni consilij Angelus. Et apud Ieremiam: Conuertimini, inquit, filij reuertẽtes dicit *Dominus*, quia ego *Vir* vester. Et apud eundem, Ecclesiam primitiuam Deus consolatur, quod tantus ab Herode sanguis fusus esset; Vsquequo inquit, delicijs dissolueris filia vaga? & vbi non est requiris redemptorem, Creauit Dominus nouum, fœmina circundabit *Virum*, Hebræi nobiscum faciunt: Deum enim interpretantur, cuius ortum fœlicissimũ, tanquam ex editissimo loco attentissime obseruari iubet, ne cæco errore delusa amplius uagaretur, uel rebellis & pertinax nouum alium redemptorem expectaret. Statue, inquit tibi *CIIONIM* Speculas, pone tibi amaritudines, uel titulos potius, siue palmas; idest, cæsorum innocentũ martyria, hoc enim certissimum signũ sui aduentus. In Exodo Dominus vir pugnæ appellatur. Balaam aperte de Christo: Non homo Deus, & mẽtietur, & filius hominis pœnitebit, Is qui Deus & homo est, quod omnes faciunt, mentiri & fallere nullo modo potest.

EST ergo de Virgine dictum: *At ipsi Syon dicetur, Vir & Vir* siue Homo Deus *Natus est in ea*, quod enim in ea natum est: de Spiritu Sãcto est, uel ut multi patres legunt: Factus est in ea; certè homo, non Deus factus est. Quis autem Altissimus, idem homo? nisi mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis.

ET IPSE FVNDAVIT EAM ALTISSIMVS.

IPSE qui est *Altissimus*, Deus nempe, Deique filius, parque ipse Patri & natura & potestate Deus, eiusdem Virginis filius, redemptor, conditor; *Ipse* Architectus peritissimus, nimirum Patris Sapientia, qui in ea natus, Deus est *Altissimus fundauit eam*, hanc sibi domum fundauit, ędificauit, construxit, stabiliuit; Vel, Gloriosissimam reddidit: cum in Altissimum dignitatis gradum euexit, nimirum Angelorum, & Archangelorũ Dominam, ipsisque Seraphim celsiorem constituit. Item *IECONENAH* Fundauit, concinnauit, aptauit, ijs omnibus instruxit, quæ ad tantam dignitatem requiri videbantur. Hebream locutionem, vimq. ipsius Aptandi uerbi usurpat Ecclesia: Qui beatæ Mariæ corpus & animã

Spi-

Spiritu sancto cooperante præparasti. *Fundauit* etiam, robur & constantiam tribuit, nè inaudito a sæculis miraculo terreretur. Ecclesia ex Augustino. Exultat Maria, & Matrem se læta miratur; neque q uod peperit Innupta terretur, sed quia genuerit cum exultatione miratur.

DOMINVS NARRABIT IN SCRIPTVRIS POPVLOrum & Principum horum, qui fuerunt in ea.

MIRA profunditas, ait Aug. eloquiorum tuorum Domine; quorũ ecce ante nos superficies bl andiens, sed mira profunditas; Deus meus mira profunditas? Horror est intendere ad eam, horror horroris, & tremor amoris. Est omnino hic locus obscurissimus.

Inuigilare tamen studio ne desine sancto,
Qui dedit vt quæras, addet vt inuenias.

DOMINVS narrabit in scripturis populorum, idest, Cum Deus populos numeraret & scriberet; certè Hebraicè legimus, *BIKTOB*, In scribendo, id valet, Cum is scriberet. Et quanquam de diuinis istis tabulis, & scriptura, seu libro vitæ, si minus disertè, at vere & grauiter multa Theologi; insignem tamen Plauti locum quem illi forte non viderunt, nullo modo possum præterire. Apud hunc ergo Poetam lepidissimum vnus e cœlitibus.

Qui est imperator Diuum, *atque hominum Iuppiter*
Is nos per gentes, alium in alia disparat.
Qui facta hominum, qui mores, pietatem & fidem
Noscamus, vt quemque adiuuet opulentia.
Qui falsas lites, falsis testimonijs
Petunt, quique in iure abiurant pecuniam.
Eorum referrimus nomina exscripta ad Iouem.
Quotidie, ille scit, quis hic sibi quærat malum,
Qui sic litem adipisci postulat periurio.
Mali res falsas qui impetrant apud Iudicem.
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat,
Maiori mulcta mulctat, quam litem auferunt.
Bonos in alijs tabulis exscriptos habet
Atque hoc in animum scelesti iuducunt suum,
Iouem placare se posse omnibus hostijs,
Et operam, & sumptum perdunt, atque id ideo
Fit, quia nihil ei acceptum est à periuris.

ET quanquam Dauid non loquatur de hac scriptura, dignissimus mihi locus visus, quem hic adscriberem, tum propter sententiarum grauitatem & pondera, tum quod ex Salomone videatur expressus. Si vide-

ris calumnias egenorum,& violenta iudicia,& ſubuerti iuſtitiam in prouincia: non mireris ſuper hoc negocio, quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper his quoque eminẽtiores ſunt alij: ij nempe quos actionũ noſtrarum ſpectatores a ſummo Imperatore mitti Plautus ſcribit. Nunc vero *In ſcripturis popul.* hæc Dei ſcriptura nihil eſt aliud,quam æternum illud de mundi geneſi conſilium & ſtatutum. Cùm ergo *Deus populos* ac nationes in vitam lucemque prodituras *Narraret*,æterno ſuo ex conſilio cõſtitueret,& eorum quaſi ſummam ſecum ipſe ſubduceret,rationem putaret: *Hic natus erat ibi.* minus aperte hoc vulgatus Interpres cum dixit: *Horum qui fuerunt in ea*, quod idem eſt proculdubio ac, *hic fuit*, vel, *natus eſt ibi*.

DESCRIBIT æternam Filij Dei generationem,non enim ſibi ſatisfecerat, cum temporalem Carnis natiuitatem poſuiſſet, ſi de æterna prorſus ſileret. Non ſolum,inquit, homo Deus natus eſt in Virgine,ſed & *Hic* iam *natus erat ibi* ante ſęcula æterna.*Dominus* ergo *narrabit in ſcripturis populorũ*,Multo ante quã optimus ille Rex,& mundi condiror,omnib. gentibus diuiſis, terrarum terminos fixiſſet, &vnicuique termino, Regno ,Prouinciæ, ciuitati,ex infinitis Angelorum myriadibus Præfectos illis conſtituiſſet, ceu paſtores gregumque ductores, ne beſtiarum ritu ſine præfectis agerent, *In ſcripturis*,in hac æterna ſolitaria populorum ſũma,recenſione,deſcriptione,*Hic natus erat ibi*, Non, inquit, diuinus filij character, cum tẽpore Patri ſuo grato Incarnationem ipſe configuraret, ſimul & eodem temporis momento in Virginis vtero eſt abſolutus ; non cũ per gradus caro illa ſuſcipiebat incremẽta, & diuina Verbi incarnatio incrementa ſuſcepit, ſeorſum diuina increſcebat forma;ſed creſcenti animali carne ad ſolidam integritatem,qua homo perficitur, iam tum *natus erat ibi* . Vbinam quæſo Dauid ? Certe apud Patrem. Quomodo vero natus ? quoue pacto erat apud Patrem ? erat increatus,incorporeus , intemporaneus, erat ſempiternus, infinitus, incognitus , iſtorum initiorũ progreſſuum, & incrementorum expers. Iam tum ex Patris vtero, id eſt, ipſius ſubſtantia (Vterus enim & Cor id quod cuique proprium & genuinum eſt ſignificant) Qui erat in ſinu Patris, ante Luciferum genituserat. Luciferum porro , non Heſperum dicit Veneris ſtellam , cùm de eximia re, & plane admiranda loquatur: porrò iſta naſcendi ratio vulgaris ſit,multos enim ante illius aſtri exortum in lucem æditos nouimus, nec de Marię partu , etiamſi admirabili loquitur, de quo ſi ageret: ante Adamum ſcilicet,corpus illud diceretur genitum , cum ante Adamum aſtra extiterint; Sed tum inquit, cum *Dominus populos* & nationes generandas,æterno ſuo decreto & conſilio,quaſi calculo quodam ſupputaret, & velut in albo *deſcriberet* : *Hic natus erat ibi*, ideſt, iam ex vtero, paterno

ſcili-

ſcilicet, eius inquam ſubſtantia, *Ante Luciferum,* ante quam in carne ap pareret, *Natus erat ibi*, antecesſit natiuitatem iſtam, æterna illa ex Patre natiuitas, Ego, inquit Vnigenitus ipſe Patris ac Virginis filius (poteſt enim Diuina Virago, ſalus, protectio, & defenſio noſtra, lætitia illa Iſrael, gaudiũq. vniuerſę terrę iure quidē optimo etiā illud vſurpare: Filius meus es tu, ego hodie genui te) inquit ergo eius filius: Ego ſum radix, & genus Dauidis ſtella illa ſplēdida, illa matutina. Aperte dicit ſe ratione carnis Luciferum dici. itaque *Ante Luciferum*, perinde eſt, vt, Cum nondum eſſet Lucifer & ſtella illa. Nam illud *Ante*, negationem in ſe continere vt ipſum Hebræum nomen *MISCHAR* euincit, doctè & erudite intellexit Vulgatus Interpres.

CVM ergo ex Hebræis codicibus Latina Editio, Editio inquam Latina iuuanda & illuſtranda ſit, hic enim eſt legitimns vſus Patriarcharũ linguæ, hic perpetuus meus mos, & totius vitæ ſtudiorum conſuetudo: ſciendum eſt, in *MISCHAR*, literam M, vt multis ſæpe locis, etiam apud hunc ipſum vulgatum Interpretem, dico, valere *NON*. In Iſaia *MIBETHO*, Ne ſit domus; *MIBO*, ne vllus introeat; *MIMAHAL* Quòd non laboraret; *MICHALAL*, Ne polluat; *MEHASOTH* Ne faciat; *MEHOSEAH* Vt non ſaluaret; *MISMOAH* Vt non exaudiat; In *RVTH*, *MEHEIOT LAIS* Vt non ſim Viro; *MIMLOC* Ne regnem. Dauid: Multiplicata ſunt *MISPAR* *ſuper* numerum, vel, Vt numerari non poſsint, Dinumerabo eos? *MECHOL* Non arena, præ arena, ſuper arenam multiplicabuntur; ſic nũc *MISHAR* Cum nondum eſſet Lucifer, quod ille *Ante luciferum* rectiſsimè dixit.

ITAQVE D. Ioannes cùm ait: Ego ſum radix & genus Dauidis, ſtella illa matutina, explicat Dauidis *MERECHEM MISHAR*, Ex vtero ante Luciferum, quod eſt ex meipſo, cum nondum eſſes, ſtella illa, id eſt antequam carnem ſumeres iam genitus eras. Nunc vero aliquid aliud amplius, *In Scripturis popul.* Antequam creares populos, diuideres gentes & ſeparares filios Adam, ante terrarum, ac populorum terminos conſtitutos *Hic natus erat ibi*, Verbum erat apud Deum, à Patre audierat, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et ita Chaldæus Paraphraſtes: Regnabat ad æternitates, quaſi illud Micheæ exprimere voluiſſet: Et egreſſus eius a diebus æternitatis.

CERTE Natiuitati carnis ſolent Diuinæ literæ æternam filij Dei generationē coniungere, niſi velis ita accipere. Non hic vt cœterorum hominum ortus, ciuitatibus iam conſtitutis acceſsit, ſed iam tum cum prę uideret Deus eorum Principum numerum, qui per infinitas temporũ & ſæculorũ ætates eſſent naſcituri, iam hic æterno ex conſilio in hac

virgi-

virgine natus, occisusque erat ab origine mundi.

SICVT LOETANTIVM OMNIVM habitatio est in te.

CERTE Vulgatus interpres Hebręorum verborum vim & sententiā expressit. Legimus enim apertè *VESARIM CHECHOLELIM*, *Vt cantores, sic Tympanistæ*. Hic enim consistendum & quiescendum est, si, quæ magnam in obscuris rebus lucē adferre solet, seruare velimus Hebraicam Interpunctionem, & quod ipse postulat orationis ductus, verborū vis & concitati animi impetus, vsitata porro Scripturis *Apesiopesi* Vates ipse reticuit, ex alijs locis supplendum, Iubilate, pl audite, sumite psalmum, date tympanum, canite tuba, Personate, rumpite aera, hanc cymbalis, hanc chordis & organis, hanc neruorum, vocumque cātibus vnam celebrate, quam iam nunc conspicio ab Angelis adorari, omni prorsus laude & honorem superiorem.

GESTV certè, manuum ac corporis totius iactatione magis quam vllis verbis exprimi potest, applaudentis Prophetæ alacritas, & illius orationis feruor & spiritus catores adhortātis, *Vt cātores, sic tympanistæ, sicut lætantium omnium*. quod est, Agite, pulsate, canite, Date ei de fructu manuū suarum. Idem ego facturus sum, & Apostrophe quasi ad pręsentem virginem conuersus: *Habitatio mea est in te*. Recte hic Vulgatus Interpres. Adde etiam, proprie, eleganter, perquam erudite, Hebraica enim sunt *COLMAHAIANAI*: Omnes fontes, Scaturigines, Speculationes meæ in te, quod omne est *MAHAIIAN*, & ita Græca Scholia nuperæ Romanæ Editionis; ita S. ipse Hieronymus. Et cantabunt quasi in choris, omnes fontes mei in te; Cogitationes porrò de corde exeuntes, vbi illarū fons & officina, ipsas vocat e terra quasi ebullientes & subsultantes aquarum scaturigines. Intentę ergo animi cogitationes, mentisq. meæ curricula sunt laudes & œncomia de te. Domina, inquit, mea, & mater Domini mei, per quam viuet mundus, *Habitatio mea in te*. Tu fons totius vitæ fontis, idcirco *COLMAHAIANAI BACH* Omnes fontes mei in te. In te viuo, tecum habito, te dies noctesque cogito, tecum totus sum.

CERTE vbi quis se maxime oblectet, ibi eum habitare dicunt qui Romanè loquuntur.

„ *Quid nūc mihi es author Milphio*? Milp. *Vt me verberes atq; auctionē facias*,
„ *Nam impunissime tibi quidem hercle vendere hasce ædes licet*.
„ Agarost. *Quid iam?* Milph. *Maiorem partem in ore habitas meo*.

QVOD frequenter illum cæderet, dentesque perfringeret, idque suauiter & iucundè faceret, ait seruus, in ore suo habitare herum.

QVOD

QVOD igitur ſcriptum eſt a Propheta eximio, Omnes fontes ſeu ſpeculationes (Todas mis mientes, Acatamientos) in te, germanè & genuine eſt: *Omnis habitatio mea in te*; Te, inquit, dies, noctesque cogito, tecum habito, neque vero animus, votis ac deſiderijs ſuis etiam dum partem vllam ſatisfacere, nedum vt laudibus tuis non dico celebrandis, ſed ne recolendis quidem capax eſſe poſsit.

EGO vero Virgo incomparabilis, admiranda, Diuiniſsima, humani generis Soſpitatrix perpetua, orbiſque ſolatium, quæ æterna ſobole mũdo edita, Vitam, Salutem, Medicinam nobis attuliſti; Mihi vero fauens ac propitia, vocata & inuocata ſemper adfuiſti, mari, terraq. naufragantem protexiſti, dumquę de tua Maieſtate animus concipit, meditatur, recolit, & tuo inſtinctu dicere parat, mũdo offero: Tuos vultus mulierũ pulcherrima, ſancta mente & corpore, neque vmquam ſatis laudata, quoniam aliud non poſſum pauper ingenio, & tenuis patrimonio, tuos inquam vultus, intra pectoris mei ſecreta religioſiſsime conditos, perpetuò cuſtodiens imaginabor.

EVRIPIDES PHOENISSIS.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ
Κ'οὐ ποικίλων δεῖτ' ἀνδιχ' ἑρμηνευμάτων.
Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν. ὁ δ' ἄδικος λόγος
Νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Oratio veritatis ſimplex eſt:
Et non habet opus multis hinc inde interpretationibus
Res ipſa pro ſe dicit: mala vero cauſa
Languens in ſeſe, habet opus accuratis pharmacis.

FINIS.

REGE-

REGESTVM

† a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T.

Omnes ſunt integra folia præter P.



ROMAE,

Ex officina Sanctij et Soc. apud S. Blaſiū de Anulo.

M. D. LXXXIX.

- Nota [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] con
affetto

1594

emptus ₤ 1 . 2

die 10 7mbris -

a Sce di Paulemat